# OCTAVA DIES OCTOBRIS
# DE S. BIRGITTA VIDUA ROMÆ
# VITA ALTERA

## Ex apographo monasterii S. Altonis in Bavaria, Auctore Bertholdo, Ordinis S. Salvatoris monacho.

## PROLOGUS.

[Operis suscepti causa] Dum in Actis seu Processu Canonizationis sanctæ matris Birgittæ curiose hinc inde perlegerem, multaque memoriæ digna inibi invenirem, ægre tuli, fateor, quod talia & tam multa honorem Dei & Famulæ suæ exaltationem concernentia, nec non animarum salutem cognita non mediocriter promoventia, illic quodam modo tenerentur deperdita. Indignum quoque duxi, quod de sanctissima Domina, nimirum propter multorum secretorum inspirationem, & singularem virtutum adornationem Sponsam suam Christus vocare decreverat, cum qua nihilominus gratiæ suæ pactum statuit, adeo quod ex hac beatam illam dicant omnes generationes, tam breviter vitæ ejus Legenda sit condita: respectu tamen copiosæ materiæ hanc non dubium est esse brevissimam. Sed & dominus Bonifacius Papa IX in litteris suis, quas de hujus sanctæ canonizatione descripsit, vitam ejus, licet eleganter, valde tamen, prout scripta illa exigunt, perstrinxit breviter.

[2] [& partitio.] Quamobrem anhelamus quodammodo novam illius retexere Legendam; sed nequaquam audemus, quia sermone atque scientia imperitus, decrevi tandem, accepto a superiore consilio, quæcunque viderentur etiam in prædicta Legenda deficere, studiose

perquirere, atque materiis distincta in unum colligere; quod & feci: nam in tribus libris, distinctis nihilominus uniuscujusque libri capitibus, ea divisi: quorum primus de acquisitis virtutibus; secundus vero de acceptis gratiis, tertius autem de miraculis post mortem ipsius exhibitis & approbatis intitulatur, & quoniam scientia eloquentiaque, ut dixi, non suppetunt, quibus vel scripturas fulcire, vel eloquia decorare, quæ narro, potuissem; aliorum dicta & scripta, utpote melius digesta; huic Opusculo censui inserenda. Si quis vero plura forte, quam necesse fuit, instituisse culpaverit; & inde meum volumen nimis excreverit, noverit, quod oportuit me plura recidere, dum copiosæ materiæ studui utcunque satisfacere. Perinde quidquid frivolum, quidquid ineptum, si quid minus bene dictum in eo repertum fuerit, meæ hoc parvitati cum venia adscribatur, nec ad præsumptionem, etiamsi placeret hoc opus, hicque labor imputetur, quin potius, si verum est, & fas est dicere, quantalecunque ad Matrem sanctissimam devotioni deputetur. Sciendum est autem, quod nonnunquam, etsi rara pro materiæ plenitudine, ex his, quæ in prætexata Legenda enarrantur, quædam hic repetuntur. Unde & post illam videtur in hanc esse scribendum.

## ANNOTATA.

Quam hic vides S. Birgittæ Vitam, typis, ut reor, nondum editam hactenus, a Bertholdo, monasterii Paradisi prope Florentiam in Tuscia Ordinis S. Salvatoris cofessore, conscriptam, transcribi nobis curavimus ex exemplari monasterii S. Altonis in Bavaria: hoc porro non serius anno 1452 descriptum verosimiliter fuit ex altero antiquiore exemplari in monasterio ejusdem Ordinis, S. Mariæ ad aquas frigidas nuncupato, & olim in Belgio nostro prope Sylvam ducis sito: unde colligi potest, illius auctorem Bertholdum ab ætate S. Birgittæ, anno 73 seculi XIV

defunctæ, non admodum fuisse remotum. Adi Comment. præv. num. 22 & binis seqq.

Seu in Bulla canonizationis S. Birgittæ, data anno 1391, die 7 Octobris, quam integram a pag. 468 Comment. prævio insertam habes.

Præter Processum canonizationis, in principio Prologi laudatum, Bullam canonizationis, & antiquam S. Birgittæ Legendam consuluit Bertholdus etiam libros Revelationum, & Alphonsum, Giennensem olim episcopum, ut in decursu hujus Vitæ apparebit.

# LIBER I.

## CAPUT I.
## De profunda ipsius humilitate, & immenso amore ad Deum.

[S. Birgitta eo coram hominibus] De humilitate itaque hujus egregiæ cælestis Regis Sponsæ, quasi de vero & stabilito ejus machinæ spiritualis fundamento, primitus dicendum est, quatenus ordinem, quem ipsa perficiendo servavit, dum charitatis apicem, culmenque virtutum recte per humilitatem attigit, virtutes ipsas nos quoque reserando teneamus. Ab illa siquidem bona cuncta procedunt; quemadmodum econtra, mala cuncta a superbia originem habere dicuntur. Scriptum est enim, Omnis peccati initium superbia. Fuit ergo beata Birgitta humilitatis præcipuæ, illam gestans interius in mente, & insinuans ore, ac exhibens in operatione. Nam licet nobilissima foret principissa, utpote de regali stirpe progenita, tam humilis attamen, tamque vilis erat, quod non erubescebat pauperum lavare pedes, visitare hospitalia, infirmos perquirere, languentia membra contrectare; ulcera abluere, fovere & ligare. Vestimenta insuper ancillarum suarum, famulorumque & aliarum

personarum sæpius resarciebat, &, quod mirum valde est, dum aliquando visitaret monasterium S. Laurentii Panispernæ d Romæ, tempore, quo panes & eleëmosynæ pauperibus erogabantur, inter cæteras pauperculas peregrinas agapen postulantes se collocabat, magna cum humilitate incognita sedens, & acceptam agapem cum gratiarum actione deosculans. Redarguta nihilominus juste vel injuste a confessore suo & spirituali patre, vel ab alio quoquam domestico confestim flectendo genua veniam postulabat. Quin imo, si quamcumque offensam inferre se quoquo modo alicui contigisset, aut certe intulisse præsumpsisset, genu similiter flexo, cum magna humilitate relaxationem postulabat.

[4] [& Deo magis humilis,] Semel, bis, & tertio nonnunquam in die ob nimiam humilitatem confessionem faciebat: & omnibus diebus Dominicis & magnis Sanctorum festivitatibus velut infirma & medicina indigens sanctissimum Christi Corpus, animarum anthidotum salutiferum, devotissime recipiebat. Item etsi tanto gratiarum munere prædita esset, quod vix humana credulitas hoc queat admittere; peccatricem tamen vilissimam, nec non ad omnia indignissimam se reputabat. Verum cum præceptum illi a Christo fuisset, quod sanctæ religionis Regulam, quam sanctissimo ore suo ipse sibi revelando dictavit, summo faceret Pontifici præsentari per eum confirmandam; mandanti respondit: O dignissime mi Domine Jesu Christe, ego indigna persona inter tuos fideles servitores sum sicut minima formica inter fortes camelos, qui magnas sarcinas portant ad Domini sui commodum & honorem; & quomodo poterit Papa credere, quod tu omnium Deus & dominus cum tali formica talia digneris facere? sed & in secundo divinarum Revelationum libro cap. 18, cum hanc gratiam videndi, audiendi, & sentiendi spiritualiter Sponsus sibi commemorasset, ait: O Domine mi, & fili Virginis! quare dignatus es tam vilem Viduam hospitari, quæ sum pauper

in omnibus operibus bonis; & modica in conscientiæ intellectu & consumpta in omni peccato longanimitate temporis.

[5] [quanto gratiis cœlestibus clarior,] Item in sexto libro cap. 52. O Rex, inquit, omnis gratiæ, & infusor omnis sapientiæ; omniumque virtutum largitor: cur me, quæ corpus consumpsi in peccatis, recipis ad tale opus tuum? Ego sum quippe quasi asinus insipiens, & defectuosa in virtutibus. Noli etiam, dulcissime Domine Jesu Christe, propter hoc irasci, quia sic te interrogavi; nihil enim mirandum est de te, quoniam facere potes, quidquid volueris. De me autem totaliter; quoniam in multis te offendi, & parum emendavi. Non solum autem de tantis gratiis, quemadmodum Dominus Alphonsus, olim Giennensis episcopus, tunc autem eremita nec non Sanctarum Revelationum devotus scriba in Epistola ad reges astruit, non superbiebat: imo gravius de hac sibi superesse judicium metuebat. Ait enim; Latere quidem ipsa, & thesaurum istum abscondere divinarum Revelationum ob humilitatis custodiam maluisset: sed Christus eam imperio verborum suorum pluries astrinxit ad scribendum & loquendum verba sua divina intrepide summis Pontificibus, imperatoribus, & regibus, & aliis gentibus, ut ex istis divinis verbis, scilicet Libri præsentis & cœlestis Libri ad Reges, homines peccatores ad Deum se converterent, boni autem & justi in melius proficerent: ut patet clare in septimo libro cap. 27 & in sexto cap. 5 cum multis similibus, & in isto præsenti Libro cœlestis Imperatoris ad reges in multis Capitulis. Hæc ille.

[6] [dæmonis laudes spernit, monachi autem opprobria libens audit,] Tentata est aliquando Sponsa Christi a diabolo de inani gloria, suggerebat enim sibi, quod nobilis esset genere & Deo multum dilecta, quæ in oratione sua mentis in excessu suspensa tentanti se sathanæ respondebat: O maledicte diabole, tu propter

tuam superbiam cecidisti, ego vero quare superbire debeam; cum non sit melior reginæ caro, quam ancillæ, sed totum vile & terra? Quare non humiliabo me, cum non minimam quidem cogitationem bonam a me habere possem, nisi Dominus miserit mihi illam? Tunc Christus apparens ei dixit: Humilitas est scala, qua ad Deum cor ascendit de terra. Eo tempore, quo Mulier in Alvastro monasterio morabatur, frater Paulus ejusdem monachus quadam vice illi detrahebat dicens, eam non habere sanum cerebrum, sed esse phantasticam. Cumque humillima Dei Famula hujusmodi verba a referentibus audisset, respondit: Benedictus sit frater ille, qui bene me & mea novit vitia: verum enim dicit, sani me non esse capitis, quia non utique sane usque modo sensi, cum plus, quam Deum meum, mundum dilexi, nunc autem, & deinceps sic nihil ut Deum diligere cupio, nullique nisi Deo placere peropto, spero me bonum & sanum cerebrum habituram, quo Domino placeam, & mundo displiceam; sed rogate fratrem illum, ut oret pro me.

[7] Prædicante quoque magistro Mathia, Lyncopensi canonico, [nihil ad suam,] qui Famulæ Dei in Swetia confessor extitit, & de virtutibus ejus & gratiis sibi a Deo gratis datis quædam tam imitabilia, quam commendabilia tangente, sermone finito, humilitatis amica ad eundem accessit, ac dixit: Precor vos, Pater, per nomen Jesu Christi, ut nil de me vestris in sermonibus de cetero inseratis: quid enim ego sum? Nonnisi formica in conspectu Dei. Et si aliquis magnus dominus vilem suum cursorem ad amicum mittit, quis laudandus est nisi dominus? Hoc autem ideo dicebat, quod si cælestibus interim pro communi omnium utilitate imbueretur sacramentis, non ipsa ex eo, sed solus Deus prædicandus esset & laudandus. Cui ille, Non mireris, inquit, Filia, quia viri etiam & mulieres exemplares efferendi sunt, ut cæteri ædificentur. Et Sancta, Adhuc, inquit, navis mea in

fluctibus est, ideo oratione indigeo. Principium enim rei videmus, sed finis est laudandus.

[8] Inter cetera Nolanus comes o de Birgitta adjuratus hoc refert, [sed omnia ad Dei laudem referre solita,] quod, cum aliquando de revelationibus sibi cælitus factis familiariter cum ea conferret, istiusmodi habens humilitatis exemplum, ut magno cum timore & verecundia quadam referebat; Non reputeris, aiebat, amoris effectus verba divina propter vilitatem meam, quia ego sum uti cursor abjectus, qui, cum præclari principis litteras portat magna continentes negotia, in nullo tamen domini sui litteras inficit vel corrumpit, nec earum continentia ex eo immutatur: novit ille, qui omnia novit; quique etiam dixit, ut dicerem, quod nihil ex me verbis ipsius addo vel minuo. Item frater Angelus de Hispania presbyter & eremita de Monte Corvo, Quare sic prophetas? eam requisivit: cui dixit: Ego sum quasi cursor Domini sui litteras bajulans, & ideo non meis meritis, sed Dei beneficiis est ascribendum, quod hujuscemodi dico vel revelo, cumque vellet ille sibi, prout decebat, reverentiam exhibere, ut vere humilis reluctando dicebat: Non cursor, sed mittens eum dominus laudandus est. Quocirca suscipe & lauda Deum omnipotentem. Præterea dominus Alphonsus, de quo supra, refert de ea, quod si quandoque a quocunque pro quacunque necessitate devote quærebatur; in hæc quasi semper verba prorumpebat: Ego quidem peccatrix & indigna sum pro vobis orare, sed rogate vos Deum, ut det mihi gratiam & ego libenter desuper cogitabo, & Deus fortassis, qui in altis habitat; & humilia respicit in cælo & in terra, humilitati vestræ condescens * obaudiet mea demerita non attendens.

[9] [ut plausum populi fugeret, noctu sepeliri voluit.] Demum cum hujus ærumnosæ vitæ finis appropinquasset, ut hominum plausum, populique concursum humiliter devitaret, in sancto Laurentio Panispernæ de nocte

corpusculum suum sepeliri mandavit. Verum, quia fugientem se mundi gloria velut umbra insequitur, devotione populi, atque frequentia corpus terræ commendari prohibente, duobus diebus jacuit insepultum. Nec mirum, si inanem gloriam toto annixu fugavit, cum in Prologo Regulæ Sponsum Christum de humilitate & virtutibus se monentem audierit, atque dicentem: Tu, quæ debes palmites portare, debes esse fortis & stabilis ad protandum, parata atque vigilans ad recipiendum, ne diabolus decipiat te; ideo sta firmiter, & dilige me toto corde: fuge omnem superbiam & assume omnem humilitatem. Serva os tuum, & omnia membra tua ad honorem meum: obedi, sicut tibi præceperam: discute omni hora conscientiam tuam, quantum excedis, & quomodo consurges ad me statim, si cadas: non cures mundi honores, nec ejus amicos, quia, cum me habueris, omnia dulcescent tibi, & cum tu me perfecte dilexeris, omnia præter me, quæ mundi sunt, amara fient tibi quasi venenum.

[10] [In Christum summo,] Diligebat revera hæc devotissima Mulier Dominum suum ac Sponsum præclarissimum Jesum Christum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis, & ex omni mente sua, plus quam omnia, & plus quam semetipsam; & præ amoris magnitudine divinæ offensionis impatiens, dum vel dicto vel facto eundem Sponsum a quopiam vilipendi percipiebat, quietari vix poterat; & quia divini amoris igne succensa ardebat desiderio, in ejus se totam obsequio perfecte mancipavit, de se sibi ipsi * reservando: nolebatque ad horam ab eodem Sponso suo separari, illum in ore per devotam orationem, in mente per jugem meditationem, & in corde per sinceram habens dilectionem. Si quidem de eo loquebatur dulcius, meditabatur suavius, & mentis in arcano præcordialiter amplexando jucundius fruebatur. Quia enim amoris Dei incendio incunctanter æstuabat, amor quamcunque

merebatur visionem; visio fruitionem: ipsa namque velut flamma sursum tendens mentis in excessu sæpenumero acta desideratissimis illum Sponsum vicissim conspiciebat obtutibus; dum in ejus lumine lumen vidit, a quo nimirum divinorum pabulo eloquiorum jugiter ac dulciter pascebatur.

[11] [quod non uno] Unde in capitulo 77 libri quarti dicit: O Domine Deus meus! O quam dulcia sunt oris tui verba! Videtur vere mihi, quoties verba spiritus tui audio, quasi anima mea illa in se glutiat cum quodam sentimento ineffabilis dulcedinis, sicut suavissimum cibum, qui cadit in cor corporis mei cum magno gaudio & ineffabili consolatione. Mirabile tamen hoc esse videtur: quia dum verba tua audio, tunc utrumque efficior, scilicet satiata & famelica: propter hoc autem satiata, quia tunc nihil aliud mihi libet nisi illa. Propter hoc famelica, quia semper augetur appetitus meus ad illa. Mellifluis itaque Sponsi Christi, quin imo super mel & favum dulcioribus, refocillata colloquiis: utpote quæ cum Psalmista dicere poterat; Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & sic per Sanctos suos &c. Demum sibi constituta, eructavit cor ejus verbum bonum, verbum salutiferum cunctis in posterum ad æternam pacem & salutem profuturum.

[12] Prædicabat Christi Evangelium omni creaturæ, quod qui crediderit &tenuerit, [specimine ostendit,] salvus erit. Plane quod sentit latius, ipsa indicabit evidentius in ea & per eam ignis divini amoris & flamma æternæ charitatis accensa apparebit. Ipsam ergo interrogemus; ipsa de se loquitur, nempe cum de confirmanda Regula, ut superius dictum est, mandatum accepisset, inter cetera mandanti respondit: Ex gratia tua voluntatem habeo faciendi voluntatem tuam, quamdiu vixero: te testante, tu scis, quod si possibile esset, quod majus gaudium, majorque consolatio ex hoc tibi proveniret, quod ego quoad corpus

meum omnes infirmitates, scandala, dolores, paupertatem, & omnes tribulationes, & adhuc in ipsa anima mea æterna supplicia sustinerem: istas adversitates potius amplecterer, quam utramque ad * corpus & animam æternam felicitatem, ad hoc ut consolatio tua major esset. O Domine Deus! qui me creasti & pretioso sanguine redemisti, si in istis tribus fide, spe & charitate defectum aliquem habere me videris; propter magnam misericordiam tuam tu eum supplere digneris. Tu es in intimo cordis mei sanguine: quamvis indigna persona sim visitatione & consolatione benedicti Spiritus tui, tutelæ tamen tuæ magnæ potentiæ me totaliter committo; ut, quomodocunque tibi placuerit, mecum facias.

[13] Item in XIII capitulo libri septimi multiplicem Dei bonitatem attollens inquit: [ferebatur amore,] O æterna veritas & incomprehensibilis, tu ipse Deus & Domine Jesu Christe; tu omnes cogitationes bonas cordibus infundis, orationesque & lacrymas. Tu occultas tua gloriosa dona, conferens pro eis æternaliter præmia gloriosa. Sit ergo tibi honor & servitium & gratiarum actio de omnibus, quæ creasti. O dulcissime Domine Deus meus, tu es mihi charissimus & vere charior, quam corpus, & anima mea. In quinto etiam libro LXIV capitulo apparenti sibi post tentationem Sponso; O, inquit, Domine Jesu Christe, regratior tibi pro omnibus & specialiter pro tribus, primo, quod vestis animam meam, infundendo scilicet pœnitentiam & contritionem, qua omne diluitur peccatum, quantumcunque grave. Secundo cibas animam meam infundendo charitatem tuam & memoriam passionis tuæ, qua anima quasi cibo optimo delectatur. Tertio consolaris omnes invocantes te in tribulatione; ergo Domine miserere mei, & adjuva fidem meam, quamvis enim digna sim tradi illusionibus diabolicis, credo tamen, quod sine permissione tua ipse nihil potest, nec permissio tua est sine consolatione. Sed etiam in sexto libro cap. XVII

diabolus, cur eam in sua non reciperet potestate, a Dei requisitus Genitrice, respondit: Non, inquiens, hoc possum, quia duplicem sanguinem in uno vase commixtum ego non possum separare, & dividere, quia sanguis charitatis Dei est mixtus sanguini charitatis cordis ejus. Neque enim mentitus est ille, qui dixit; Qui adhæret Domino unus spiritus est cum eo. Amor quippe transfert amantem in amatum.

[14] [fatente id vel ipso dæmone,] Ceterum ut alterius ad alterum, Sponsi scilicet ad Sponsam & e converso, zelus innotescat, id, quod cap. XXXIV lib. primo scriptum est, referam: colloquenti etenim Domino cum Sponsa sua, apparenti tunc diabolo dixit Dominus: Tu fuisti creatus a me, & vidisti omnem justitiam in me, responde mihi, si nova ista Sponsa est legitime mea, & cum approbata justitia: permitto enim te videre cor ejus, & intelligere, ut scias, quid respondeas mihi. Nunquid ipsa diligit aliquid sicut me, aut vellet aliquid cambii recipere pro me? Cui dæmon respondit: Nihil diligit sicut te, &, antequam te careret, omne supplicium magis pateretur, si dares ei virtutem patientiæ: ego video quasi quoddam ardens vinculum descendere de te in eam, quod sic alligat cor ejus, ut nihil aliud cogitet vel diligat, sicut te. Et iterum in undecimo capite ejusdem libri ait Christus: Dilige me toto corde, quia ego dilexi te.

[15] [adeo, ut nihil,] Conjunx Sponsæ Christi, dum in extremis ageret, annulum, quem gerebat digito, impressit uxori, rogans, ut eo animæ suæ devotius ac sollicitius memoriam haberet, quo memoriale penes se retineret; sed cum pauci pertransiissent dies ab eo, quem maritus extremum clauserat, annulum a se Dei Dilectrix abjecit. Quibusdam viris dicentibus sibi, non magnum judicium dilectionis existere tale tanti conjugis præsagium a se charitatis ejecisse, respondit: Quando virum meum humo tradidi, omnem cum eo carnalem amorem inhumandum

decrevi, ut, quamvis illum sicut cor meum dilexerim, nollem tamen cum uno denario contra velle Dei vitam ipsius redimere. Sed quando annulum meum in manu mea habui, erat mihi oneri, quando illum inspiciendo priorum dilectionum recordabar. Quocirca, ut animus meus in solius Dei ascendat amorem, volo carere annulo ac viro meo, & me Deo committo.

[16] [quod humanum esset,] Postquam vero generosa vidua complicis sui testamentum persolvit, cum ingenti spiritus fervore paravit se, ut Romam (juxta quod desuper jussa fuerat) læta pro voto, festina præ gaudio pergeret; patria quoque, filiis, parentibusque relictis, totam se ibidem in Dei servitium manciparet. Interim vero animus ejus ex filiorum compassione parumper fluctuare cœpit, quod eos desolatos atque materna consolatione orbatos relinqueret. Verebatur insuper, ne post ipsius recessum ad offendendum Deum audacius fræna laxarent, eo quod juvenes essent, divites, potentes & nobiles. Istiusmodi itaque altercationibus in ejus se animo versantibus, vidit in visione ollam unam igni superpositam, & puerum desuper insufflantem, quatenus olla ferveret, cui dixit: Cur tantum sufflans ollam conaris ignire? Ut amor, inquit, filiorum in te magis ac magis accendatur, & inflammetur. Et ait: Quis es tu? Ego, inquit, negotiator sum: intelligens autem immoderatum adeo in corde suo erga filios vigere amorem, invariabiliter se ad horam correxit, ut nihil jam præter divinum amorem, præponeret; nil sibi de cætero liberet, nisi quod Creatori suo gratum fore cognosceret. O quot fuderit ex tunc quotidie lacrymas, quot fecit eleëmosynas, ne quos genuerat, omnium offenderent Creatorem! Jam enim naturalis in ea amor erat extinctus, & in spiritualem penitus conversus amorem.

[17] Testatur denique Prior de Alvastro y confessor ipsius, [diligere videretur.] quod tantam ad Deum charitatem possideret, prout ex confessionibus sibi constare

fatebatur, quod valde mirabile erat: unde meminit, se vice quadam de suo illam charitatis, internæque devotionis ardore curiosius explorasse; audivit vero, quod ipsa tantum in oratione fervorem atque devotionem experiebatur, quod diebus, ac noctibus a cibo & potu abstinuisset, nisi defectum corporalem incurrere & proverbium etiam: Qui facit, quod nullus, mirantur omnes, subire timuisset.

## ANNOTATA.

Nempe Nericiæ, quæ Sueciæ provincia est, legiferi uxor, non tamen stricti nominis princeps aut domina. Vide num. 64 & seq. Comment. prævii.

De regio ejus stemmate, item de ejus natali solo, parentibus, fratribus & sororibus consule § 3 Comment. prævii.

Virginum Clarissarum, in quo sepeliri etiam voluit.

Forte Petro, Vastenensi confessore, qui illi a confessionibus fuit, vel Petro Alvastrensi, aut Alphonso, episcopo Giennensi.

Ut creditur, inquit Bonifacius IX in Bulla num. 216 Comment. præv. laudata: Martinus V, ut pie credendum est; nec aliter Sueciæ episcopi in litteris, anno 1417 ad concilium Constantiense datis, loquuntur, ut iterum num. mox laudato dictum est.

Obtulit Regulam Urbano V, qui eam approbavit anno 1370: confirmarunt Gregorius XI anno 1377, teste Thoriro Andreæ in Diario Vastenensi, & Urbanus VI anno 1379.

## CAPUT II.

## De præcordiali ejus devotione ad Virginem Mariam: de zelo honoris divini & studio salutis animarum.

[Deiparæ Virgini quoque] Quanta vero Dei Genitrici Mariæ afficiebatur devotione, quis digne sufficiat enarrare, cum illam in intimis vehens præcordibus humile sibi servitium exhibebat, totamque se in ejus amorem transformabat? In ea siquidem velut in portu tutissimo totius spei suæ anchoram defixerat; nolens ab ea viva vel mortua separari. Illam utique commemorando reviviscebat spiritus ejus, cor exultabat in gaudio, mens in jubilo, anima tota cælestibus jucundabatur desideriis. Divinis ejus affectus epulis pascebatur; illius denique honorem sibi ipsi præponebat, illamque ipsa medulitus diligebat. Et ne videar sub incognito & quasi opinando fari, quæ astruo, ad ipsam, de qua dissero, me converto: ipsius ignitum vehementer eloquium coram profero; quo & nostra vivificabuntur dicta, & illius præcordia in amore Virginis luce clarius videbuntur flammantia.

[19] [mirum in modum] Sane in primo capite libri septimi dicitur, quod, cum esset Romæ beata Birgitta, Sponsa Christi, & quadam vice orationi vacaret &c usque in finem, quam promissionem Virgo benedicta post annos XVI adimplevit; quando scilicet beatæ Birgittæ ad Terram Sanctam proficiscenti, cum Bethlehem venisset, Christi Nativitatem seriose monstravit. Item alibi inquit Sponsa Christi: Benedicta sis tu, Maria Mater Dei, & benedictus sit idem filius tuus Jesus Christus præ omni gaudio, quod mihi dederat ex eo, quod tu mater ejus es; ipse idemque novit, quod Maria Filia Joachim est mihi charior, quam liberi Ulphonis & Birgittæ. Et magis vellem, quod Birgitta, filia Birgeri, nunquam fuisset nata, quam Maria Filia Joachim non esset progenita; & levius eligerem, quod Birgitta esset in inferno, quam quod Maria Filia Joachim non esset Mater Dei in cælo, cui respondit benedicta

Virgo: Filia, scias pro certo, quod illa Maria Filia Joachim erit tibi utilior, quam tu Birgitta filia Birgerii es. Et eadem Filia Joachimi, quæ est Mater Dei, vult esse pro Matre liberis Ulphonis & Birgittæ. Patet ulterius pii amoris affectus ex eo videlicet, quod in monte Calvariæ beata Birgitta personaliter consistens & passionis Christi seriem intuens, ex compassione Matris dignissimæ, doloris acutissimi gladio transfixæ, pariter vulnerabatur, cujus utique passionis ordinem scribens in XV cap. libri septimi post multa sic ait: Cumque ego repleta dolore respicerem crudelitatem eorum, vidi tunc ejus Matrem mæstissimam in terra jacentem, & quasi trementem, & semimortuam, quam consolabantur Joannes & aliæ sorores ejus; quæ tunc stabant non longe a cruce ad ejus partem dexteram. Dolor ergo novus compassionis illius sanctissimæ Matris in tantum transfixit me, quod cor meum pertransibat quidam gladius acutus importabilis amaritudinis.

[20] Porro si ex abundantia cordis os loquitur; vim intimi amoris verba produnt miræ devotionis: [fuit addicta:] nam in libro tertio capite XXIX illam devote & pulchre salutans, Benedicta sis tu, inquit, o Maria Mater Dei, templum Salomonis. Respondit Mater: Benedictus sit Deus, qui cordi tuo &c. Item in quarto libro cap. XVIII. O dulcis Maria, inquit Sponsa, benedicta sis æterna benedictione &c. Denique in eodem libro capit. XIX sic dicit: O dulcis Maria, pulchritudo nova &c. Quantum etiam intime eam dilexit, luculenter patet in illis duabus pulchris & prolixis orationibus, quæ in fine scribi consueverunt, in quarum altera Virgo beatissima de sua conceptione & infantia, & de omnibus virtuosis actibus & laboribus, ac magnis doloribus totius vitæ suæ, nec non de sanctissima morte & assumptione sua pulchre atque devote laudatur, in reliqua vero cuncta corporis membra, nec non virtuosi ejus corporales actus congruis laudibus singulariter describuntur, & efferuntur.

[21] Quia enim pudicitiæ Mater cælestem illum Sponsum inexhausta charitate diligebat, [ex zelo salutis proximi] honorem illius, quibus poterat modis, promovere satagebat, & quia pro animarum redemptione eumdem Sponsum sanguinem suum fudisse cognoverat, idcirco animarum salutem ardentissime sitiebat; qua de causa devotissimis orationibus & inenarrabilibus gemitibus pro salute proximorum anxia nimis omnium jugiter interpellabat Redemptorem, & missis epistolis verba, quæ os Domini locutum ad eam fuerat, omnibus juxta ejusdem * intimabat: nam ad summos Pontifices, imperatores, reges, reginasque, episcopos & alios ecclesiæ prælatos, principes quoque & judices terræ, nec non ad religiosas, secularesque personas cujuscumque dignitatis, status, conditionis, seu ætatis existerent; ad regna quoque vel communitates scribens nunc iram Dei intime comminabatur, nunc præcavebat, nunc arguebat, obsecrabat vel increpabat in omni patientia & doctrina, ut non sit, qui se abscondat a calore ejus, vice in hoc fungens Psalmographi dicentis: Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, tu scisti. Justitiam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi. Non parcebat labori, non sumptibus, quia verus amor de difficultate non causatur, contra vero has detractiones, derisiones non verebatur, sed nec ipsam mortem cunctis viventibus odiosam expavescebat, quin Dei beneplacitum perficeret, & a gehennæ cruciatibus proximorum animas pro viribus liberaret.

[22] Audierat enim vocem Sponsi sui dicentis; Cum vos oderint homines, [summæ etiam auctoritatis viros] & persecuti fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis. Et iterum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, unde in monte Flascone domino

Urbano Papæ V revelationem quandam sibi a Dei Genitrice factam, in qua sub mortis comminatione futurique judicii districtione prælibato Pontifici inhibetur, ne de Roma vel Italia recedendo Avenionem repedaret, personaliter præsentavit, talia tanto Domino nil verita insinuando. Successori insuper Gregorio XI divinis nonnullis destinatis oraculis mandabatur, quod infra certum tempus in illis expressum Romam vel Italiam cum sua remigrans curia, omni cum humilitate, pastoralique charitate inibi usque ad mortem permaneret, moxque post suum adventum Sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, omnesque ecclesiasticos status excoleret, & reformare inciperet, nec non ad pristinum statum totius decoris perfectæque virtutis atque recolendæ sanctitatis Patrum antiquorum pro posse reduceret; vitia quoque de curia evellendo, mores corrigendo, consiliariosque permutando: alioquin animadversionis divinæ sententiam nondum in anima, sed in corpore & in bonis temporalibus irrefragabiliter sævientem exciperet. Quarum profecto revelationum Dominus Latinus de Ursinis unam, dominus Nicolaus comes Nolanus alteram, tertiam vero terribilem valde Dominus referebat Alphonsus: prætextu namque Conditoris neminem pertimescebat, nullius faciem cognoscebat, nullum denique viventium Authori vitæ præponebat.

[23] [officii sui] Unde, cum quadam die in ecclesia sanctæ Mariæ de Alvastro o juxta altare se recepisset, & revelationem quandam ad milites corrigendos mentali theoria subacta Regi Christo percunctanti se intenderet, confessor ipsius accessit, regem, Magnum nomine, qui tunc regnabat, ad eam venisse contestans, sed, cum nullum præberet responsum ei, tetigit eam manu, cumque nec sic suscitanti annueret, deprehendit, eam divinis tunc vacare colloquiis: contemplatione tandem finita, & a confessore & a rege, quam ob rem vocata tacuisset requisita; Bene, inquit, audivi vocem percunctantis, sed

sermo tunc colloquentis mihi potens erat, & metuendus. In eodem quoque Suetiæ regno, marito jam suo vita functo, regem, Christo imperante, adiit, quem postquam una cum magnatibus regni ex indultis sibi revelationibus salubri commonitione præcavisset, virgam furoris Domini super eos extendendam, nisi de quibusdam flagitiis in illis condignam in posterum pœnitentiam agerent, minabatur.

[24] [intrepide,] Qua in re plerique illorum mordaci illam dente corrodentes, cum alias in eam surgere metu territi, & revera magnatorum tenti, magnorum ipsius consanguineorum, nullatenus auderent, oblocutionibus atque maledictis impetebant. Sed maledictiones omnes, detractionesve atque derisiones surda patiens aure pro persequentibus, & se calumniantibus Sponsum sic facientem & dicentem imitando exorabat. Nunc autem ex eis plurimi, qui sibi ante detrahebant, qui tribulationes omnes illas, ac terribilia Dei judicia, quæ prænuntiaverat, ad punctum venisse conspiciunt, humilem ipsius patientiam recensentes mira cum devotione ad sepulchrum eam requirunt; & loca, in quibus sciunt, quod steterunt pedes ejus, deosculantur, ac si de ea vaticinium illud verificari debuisset: Venient ad te, qui detrahebant tibi &c. Dicunt autem: Væ, væ, qui sanctæ Mulieris prædicationibus confidere renuimus: væ, qui judicia Dei parvi pendimus: væ nobis iterum, atque iterum, qui piæ Matris monita superbo corde contempsimus, quo mala cuncta, quæ patimur, exinde merito excepimus, & vere credimus, quod virtus illius almi corporis ad partes reducti pacem nobis secum vexerit, cum innumeris dudum pressuris oppressi fuerimus; sed venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, & invariabilis honestas per manus illius, & lætati sumus in omnibus, quoniam antecesserunt nos ipsius dignissima merita.

[25] In Regno quoque Cypri coram rege tunc vivente & ejus matre domina Eleonora regina, [divinitusque

instructa] Antiochiæ principe, domino scilicet Jacheto, regis patruo, cum multis aliis regni nobilibus, regiisque consiliariis coram stantibus, quandam ex parte visam publicavit revelationem, in qua supradicti omnes cum universo populo de quorundam in ea contentorum emendatione facinorum monebantur: alioquin suum contra eos potentissimus Dominus citissime atque certissime accingeret gladium. Quæ quidem revelatio in septimo libro cap. XVIII continetur. Præterea in civitate Neapolitana magnæ comminationis & terroris Christi verba ad se facta, nonnulla quædam secreta minas continentia, clam reginæ contribuit; sed & quædam alia Dei verba super populum ejusdem civitatis, assumpto domino Bernardo archiepiscopo Neapolitano, fratre Nicolao Mesquim Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ magistro, qui postmodum cardinalis fuit, fratre Francisco Defulano Ordinis Eremitarum S. Augustini, eoque in Theologia magistro, cum quibusdam nobilioribus civitatis militibus convocatis, per semetipsam magnanimis, intrepida & æmulatrix Dei Famula constanter coram publicavit: & habentur hæ duæ Revelationes lib. VII, cap. XXVIII. Ex quibus omnibus & his similibus etsi capi, ligari, cruciari, trucidari, probabiliter titubare potuisset, velut tamen Christi Apostola Deique Prophetissa cum fiducia & fortitudine mandatum Dei exequebatur, & opportuna verba non præcognita, sed in illa hora juxta Evangelium sibi data, cum staret ante reges & præsides inconcusse loquebatur.

[26] Ad regem namque Suetiæ, eumque cum suis contribulibus monere, [commonuit:] in spiritu ire jussa fuit quadam vice, cumque causaretur, se nescire, quid in sermone proferret, audivit: Cum veneris, inquit, ad eos, aperi os tuum, & ego implebo illud; ad regem proinde perveniens, cum non cogitasset, quomodo, aut quid loqueretur, divina tunc verba fuerunt sibi infusa, non solum, quæ ad regem pertinebant, verum etiam, quæ de

futuris plurima concernebant. Ex divino quoque imperio cuidam abbati magnæ authoritatis quasi supplicando dixit: Tu, domine Abba, deberes esse speculum Religiosorum, sed tu es caput meretricum; patet hoc in filiis, pro quibus infamaris. Tu pauperum exemplum & distributor indigentium esse tenereris, sed ostendis, te esse de eleëmosyna magnum dominum: hoc patet, quia magis inhabitas castrum, quam claustrum. Tu deberes esse doctor & mater fratrum tuorum, sed factus es vitricus & noverca: tu ludis in deliciis & pompa, illi autem afflicti murmurant tota die, ideo nisi correxeris te, deponam te de castris, & cum minimis fratribus non habebis consortium, nec ad patriam tuam, ut credis, redibis.

[27] Cum rex Suetiæ ad quandam pecuniæ quantitatem solvendam arctaretur, [Sueciæ regem ab exigendis vectigalibus, oblatis filiis avocavit,] Non immunis ab ira Dei eris, si hoc feceris, ait illi inclita Mater; sed duos, quos habeo, filios magis accipe, eosque, donec solvere poteris, pone obsides, nec offendas Deum tuum. Tunc ipso die Christus eidem loquebatur dicens: Propter charitatem unius hominis quoque salvatum est regnum, sic propter unius adinventionem & gravamina perdita sunt aliqua regna, sicut exemplum tibi dico de quodam rege: ille enim rex plus confidebat in pecunia, a populo & transeuntibus sub fraude & simulatione justitiæ exacta, quam in me; ideo vitam perdidit, & regnum reliquit in tribulatione, & adinventiones suæ pravæ ductæ sunt ab aliis successoribus in consuetudinem, & quasi in legem; sed si rex confidit in me Deo suo, & communitas regni petitur in auxilium in charitate, tunc ego salvare potens sum, & citius propter charitatem reducere ad pacem. Ideo rex, si prosperare desideret, teneat promissionem suam mecum, & veritatem cum communitate regni, teneatque promissionem suam mecum, & caveat præcipue, ne novas ibi adinventiones & tributa & subtilitates inducat. In difficultatibus vero sequatur consilium timentium Deum,

non cupidorum; quia melius est, adversa quædam mundi tolerare, quam scienter contra me & animam suam peccare.

[28] [ad vitam honestam meretrices,] Sciendum autem est, quod in humili Ancilla Christi nonnulli scandalizabantur, nonnulli vero plurimum ædificabantur, &, audita ea, multa faciebant: fuit enim cum Paulo Christi bonus odor; aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, prout dicitur 2 ad Corynth. XI. Nam & plerasque meretrices vel Romæ vel alibi suis sanctis persuasionibus de suo inhonesto lupanaris loco exemit; & castitatis intuitu, ne peccatores reverterentur ad vomitum, in suo proprio hospitio per aliquot tempus habitare secum faciens instruebat, quemadmodum pœnitentiam facerent, & viam spiritus recte incederent. Si quas vero spirituali studio minus idoneas conspiceret, connubio tradens sufficienti dote vallabat, quatenus in statu matrimoniali laudabiliter viverent, & ob victus parcimoniam pro status sui congruentia non ruerent.

[29] [ad pium vitæ genus virum nobilem,] Dominus Gometius de Hispania ducatus Spoletani, mediante domino Alphonso, quondam Gyennensi episcopo, beatæ Birgittæ humiliter supplicavit, quatenus pro se orare dignaretur: scire quippe ambiebat, quo in statu magis placere potuisset? Sanctæ itaque Famulæ beneplacitum Dei per orationem in hoc exquirenti ab ea, quæ omnium salutem æmulatur, revelatio facta est, qua de statu & forma vivendi juxta ipsius qualitatem ad plenum informabatur. Hanc revelationem cum vir gaudens Perusii suscepisset, sicut, præfato domino Alphonso præsente, testatus est, repentino cor * ejus timore Dei transfixo, in alium virum exinde commutatus est adeo, quod de ipso vere dici poterat: Hæc mutatio dexteræ Excelsi: nam ex tunc & deinceps diebus Veneris pane * nigro, Sabbatis albo, ceteris vero diebus gryseo induebatur colore. Porro

secretas faciebat pœnitentias, vigilias & orationes, abstinentiis quoque non minimis carnem suam macerabat, sed & pauperum pedes qualibet hebdomada bis personaliter lavando, largas nihilominus eleëmosynarum benedictiones eisdem impendebat. Habebat etiam spirituales patres, fratrem scilicet Coribium de Hispania Ordinis Minorum & Andream de Luca eremitam in Monte Spoletano, Magistram vero suam, cujus ope normam vitæ ex alto susceperat, cujusve devotionis auspicio indultam sibi ab ea parvam crucem jugiter deferebat ad collum, nonnisi Matris nomine recensebat.

[30] [ad sanctius viros] Prior Provincialis regnorum Suetiæ, Daciæ, & Norwegiæ de Ordine Prædicatorum, assertor verbi Sponsi Christi famam ubique diffusam attraxit de loco, quo tunc erat, ad regnum usque Suetiæ, ubi sancta degebat Fæmina concitus veniebat: si quidem illius adminiculo, quemadmodum se & sibi subjectos in viam spiritus haberet dirigere, nosse peroptabat. A qua cælesti traditione usque adeo imbutus est, quod pristino ambitioso multumque pretioso rejecto habitu, vilis & abjecti panni tegumentum assumpserit, & hoc ipsum in commisso sibi grege perfecit: nec non quam plura alia ad emendationem cedentia salubriter effecit.

[31] Simile quoddam operatus est Spiritus Dei per fistulam suam, [religiosos adduxit,] sanctam videlicet Birgittam, in fratre Martino de Arragonia Ordinis Minorum, qui, cum Cypri reginæ secretarius esset, & cum alma Vidua in multo labore & ærumna Jerusalem venisset, pro se Deum orari humiliter supplicavit, quatenus viam & modum, quibus sibi melius placere posset, offenderet, & voluntatem suam bonam, beneplacentem & perfectam ipsa sibi reseraret. Beatæ igitur Birgittæ super hoc oranti Christus apparuit & pulchra nimis revelatione sibi (quæ sub XXI cap., VII libri contexitur) exhibita, qualiter

devotissimus Christu servus Franciscus sacco indutus spiritu religionis Regulam cuderit, & qualiter primitivos fratres sanctissimæ suæ conversationis imitatores habuerit, & quomodo diabolus Ordinem interea dejecerit, & qualiter demum supplicium vel gloria ipsius Ordinis professoribus repromittatur, patefecit. Hanc profecto revelationem cum de manu sanctæ Viduæ prænominatus frater suscepisset, & demum Famagustam y (ubi libros & vasa argentea pecuniasque & jocalia cum suis ceteris ornamentis recondita possidebat) advenisset, dispersit omnia, & dedit pauperibus, Franciscum pauperculum pauper ipse imitatus est in observantia sanctæ Regulæ exemplum factus ceteris fratribus.

[32] Frater quidam conversus monasterii de Alvastro sanctæ vitæ tribus annis infirmabatur. [aliisque] Inquire in Additionibus post caput XXX, lib. VI. Venit aliquando Famula Dei ad episcopum quendam probatæ vitæ & devotionis, dominum videlicet Hemyngum Aboënsem episcopum, &c. Require ibi. Item cum vice quadam consederet in convivio eidem episcopo, & sibi delicatis cibis appositis ipsa uteretur in honorem Dei, judicabatur ab episcopo, cur habens donum tanti spiritus a delicatis cibis non abstineret? Tunc ipsa nihil sciens de talibus cogitationibus, circiter vero audivit in spiritu: Dic episcopo: Ego, qui pastorem implevi spiritu meo, nunquid propter jejunia sua? Ego sum, qui feci conjugatos prophetas, qui hoc non promeruerunt. Ego jussi prophetæ, ut adulteram reciperet in conjugem, nunquid obedivit ipse? Ego loquebar Job ita bene in felicitatibus suis, sicut quando sedit in sterquilinio, ideoque ego sum mirabilis, facio sine præcedentibus meritis omnia, quæ mihi placent.

[33] Episcopus igitur hæc audiens, se ipsum recognoscens, [diversi generis hominibus] turbatus animo rogavit pro se orari. Tunc tertio apparens Mater Dei dixit:

Dic episcopo: Quoniam omnes prædicationes suas inchoare solet a laude mea, & quia per judicium suum te judicabat in mensa, etiam quia illud judicium charitatis & non invidiæ erat, ideo charitas meretur consolari; dic ergo ei, quod ego volo ei esse in matrem, & ejus animam præsentare Deo, & ego nunc exponam ei, quod ipse est animal septimum de animalibus prioribus tibi ostensis, & quod ipse verba Dei coram regibus & Pontificibus portabit, quemadmodum etiam cap. XCVII, libri VI scribitur. Quidam magnus dominus, qui diu confessus non fuerat, &c usque in finem. In sexto quoque libro cap. LXXVIII dicitur, quod, hospitante Famula Dei ac pernoctante prope civitatem Lodosiam in quadam domo, ubi diabolus aperte loquebatur, & dabat responsa &c, usque in finem.

[34] [plurimum profuit.] Itaque quam plurimi ob sanctitatis & gratiarum sibi a Sponso Christo concessarum dotationem, fama duce, ad eam undique confluentes pro se orari, vel, si quod dubium forsitan mente versabant, celitus enodari per eam postulabant. Quibus humiliter annuens aliquot dies, & si spirituales personæ erant, ipsa interdum die, elevatis primitus ad cælum manibus, & humilibus, quæ cælum penetrant, precibus prius fusis, sciscitantibus se divina præbebat responsa: nam, ut de aliis taceam, dominus Urbanus V per suum eam confessorem adiit, & quatenus de nonnullis conscientiæ suæ dubiis Deum interpellaret, requisivit; & si quod cæleste oraculum ob id perciperet, quantocius innotesceret. Pari modo Gregorius XI arcana quædam dubia mente pertractans misit ad eam, cui saltem rogando præcipiebat, quod de & super hujusmodi dubiis secretorum cognitorem Dominum postularet, sibi nihilominus, quod in spiritu audiisset, intimando, quod & fecit. Præterea domina Joanna, regina Siciliæ, & dominus Bernardus, Neapolitanus antistes, sigillatim de quibusdam eam articulis consuluerunt, pro quibus divinas

obtinuit revelationes, quæ in septimo libro scribuntur. Sed & Cypri regina Eleonora Famulam Dei, cum illuc adventasset, ut pro se & filio suo, ac toto regno apud Regem regum intercederet, supplex requisivit: quod dum faceret, divina præcepta, quæ in septimo Revelationum libro continentur, accepit, ac certe de hujusmodi revelationibus ad requisitionem quam plurimorum sibi factis cælestes libri ubertim respersi inveniuntur. Postremo dominus Alphonsus sæpe dictus asserit se, quam pluries, dum perplexa mente in conscientia turbaretur, meruisse per eam cælitus declarari.

## ANNOTATA.

In Terram Sanctam profecta est anno 1372: contigit id adeo sub annum 1356.

Hoc Virginis deliquium plures negant eruditi.

Exstant apud Hörmann a pag. 738. Dicuntur autem divinitus S. Birgittæ revelatæ, qua de re haud aliter sentiendum, quam de ipsismet ejus revelationibus.

Revelationes ejus ad Urbanum V, & Gregorium XI vide lib. 4 Revelationum.

Liber octavus Revelationum ad imperatores, reges &c universim scriptus est. Ad Carolum IV est revelatio inter Extravagantes. Multa prædixit Magno, Sueciæ regi, ut dictum est § 8 Commentarii prævii.

Blancam Sueciæ, Joannam regni Neapolitani, Eleonoram Cypri reginas. De Blanca vide § 8 Comment. prævii; de Joanna §§ 5, 20 & 23; de Eleonora vero §§ 22 & 23.

Dictus fuit Guilielmus Grimoardi ante Pontificatum, quem Avenione, Galliæ civitate archiepiscopali in Provincia ad

Rhodanum fluvium, obtinuerat anno 1362. Sedem Pontificiam reduxit Romam anno 1367. Sed anno 1370 Adveniente, inquit auctor Vitæ ejus primæ apud Baluzium in Vitis Pontificum Avenionensium col. 390 & seq., insuper tempore æstivo idem Urbanus recedens de Urbe, vadensque ad Montemflasconis declinavit Viterbium, ubi primum palam & publice manifestavit, se velle redire ad civitatem Avenionensem. Mense Julio ejusdem anni Monte-flasconis existens approbavit Regulam S. Salvatoris a S. Birgitta sibi oblatam, quo pariter tempore ei prædixit hæc (vide lib. 4 Revelat. cap. 138) fore, ut brevi moreretur, si rediret in Gallias, quod, eodem anno nondum elapso, reipsa contigit.

Ad milites corrigendos, inquit Bertholdus: unde quidem efficitur, S. Birgittam Ordinum militarium, sua ætate exsistentium, emendationis salutisque fuisse sollicitam: neutiquam autem, militarem Ordinem, quod nonnulli aiunt, abs illa aut in Suecia, aut alibi gentium unquam institutum. Vide dicta 334 Comment. prævii.

## CAPUT III.
## De operibus pietatis & patientia in adversis.

[Pauperum] Fervebat equidem Sponsa Christi charitate divina, qua proximo non solum beate vivere anxie procurabat, verum etiam præsentis hujus ærumnosæ vitæ subdita nunc opera in eam exercendo, studiose impendebat, & viscerosæ charitatis brachiis filios amplexans compassionis eos atque internæ affectionis sinu dulciter confovebat. Considerans semitas domus suæ, ne panem comederet otiosa, manus suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Ut enim verbis Bonifacii a utar, inexhaustæ charitatis officia erga egentes, infirmas, miserabilesque personas propter amorem Creatoris exercuit indefesse. Nam, marito adhuc suo superstite, duodecim pauperes consuevit die qualibet

propria in domo cibare, illis inserviens, & necessaria subministrans. Et quinta feria memor cœnæ Domini lavit pedes eorum, de propria quoque facultate plura hospitalia in partibus suæ originis & specialiter unum in villa sua de Ulphason reparavit, pauperesque & infirmos in illis degentes pia, benigna, misericors & sedula ministratrix, quasi omni die ministravit, eorumque ulcera absque horrore & fastidio attractando lavit, ligavit, fovitque.

[36] [curam maximam] Sed & suas secum filias deducendo, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, verbo atque exemplo idipsum facere docebat. Quibusdam vero se redarguentibus, quod tales ac tantas puellas, facie pulchras, prosapia illustres, ætate tenellas illic conveniret, ubi præ languoribus, languidorumque fœtoribus facile commaculari possent, amore fervens charitatis, prudenter, constanterque aiebat: Quid mihi molesti estis, quid pro meis zelatis filiabus, in sua juventute meas a me discere natas, qualiter Deo & pauperibus devote deserviant? Quia non potest, qui Deo famulatur, illorum contaminari languoribus, quibus propter Deum fideliter deservit. Multos insuper pauperes annuatim vestiebat. Plerasque etiam tam religiosas, quam sæculares personas in diversis regni partibus suis eleëmosynis copiosius relevabat. Virgines denique quam plurimas sublevans, alias viris, alias vero Deo suo spirituali connubio copulabat, istas nihilominus & illas sufficienter dotando, &, ut breviter dicam, omnibus afflictis, pauperibus & captivis, orphanis & pupillis exhibuit se quasi matrem.

[37] [habuit,] Romam deinde veniens, licet peregrina esset, & ob nimiam partium distantiam penuriis quoque exposita, copiosam quippe secum habens familiam, largas pauperibus impendit eleëmosynas, largiores autem dudum impendisset, nisi patris sui spiritualis

arbitrio retenta fuisset; & ut Deo liberius vacare, Sponsumque suum pauper ipsa imitari posset, ærarium suum præceptori commisit, viro utique prudenti, maturo, multumque spirituali, cui totius domus suæ regimine derelicto, velut una ex ancillis, aut quævis alia paupercula sui * pro se sive pro aliis subveniendis & alendis, ac si non ipsius quæque essent, sed illius, cum timore & tremore vitæ necessaria humiliter postulabat. Et si quoque petita negabantur, omni cum mititate repulsam accipiebat. Interdum vero suboleta * ferens calceamenta, nova cæteris procurabat. Romæ siquidem, ut dictum est, commorando puellam quandam facultate inopem, sed venustate decoram & exinde vel animæ vel corporis perditioni propinquam, honorifice nuptui tradidit, dotavitque sufficienter.

[38] Cum adhuc quadam vice esset prope Lodosiam in regni Suetiæ, [non sine propriæ etiam egestatis periculo;] unus de familia inops & pauper, qui desponsatæ filiæ nuptias facere disponebat, sed multa compressus inopia non valebat, accurrens rogavit sibi inferri: quæ dispensatore domus suæ accersito quantam in promptu haberet pecuniam, inquisivit. Computata vero numismatum quantitate, Da, inquit, pauperi huic partem tertiam, quatenus filia ipsius consolata oret pro nobis. Ingredientes vero civitatem, catervam ad januam invenit hospitii, quibus, ut erat misericors, miserata jussit agapem impertiri: respondens autem villicus ejus dixit: Nullo modo sufficere ad solvendam in hospitio pecuniam, quam habebat, nisi reciperet ab alio mutuatam, adjiciens: Quomodo tam largiter vestras effunditis pecunias? Magnæ quippe perfectionis est sua indigentibus erogare, & pro se ab aliis mutuum recipere vel mendicare. Ad quem illa: Demus, inquit, cum habemus, quia benignus, largus est nobis Dator, cum indigemus; istis enim pauperibus ego servata sum, quia

aliud solatium non habent, ego autem in necessitatibus meis relinquo me voluntati Dei.

[39] Audientibus eis Missam in ecclesia, voce desuper lapsa, [sed nec Deo vicissim] audivit: Filia mea est sicut illa, quæ tam ferventer ad Sponsum vocantem properat, quæ patrem, matremque & omnia, quæ habet, obliviscitur, donec, quem quærit, inveniat; quid ergo facturus est Sponsus? mittet utique servos, & omnia, quæ Sponsæ sunt, post eam venire faciet. Sic propter tuam charitatem tibi tuisque providemus; nam sicut charitas me in Virginis uterum ineffabiliter introduxit, sic charitas hominis introduxit Deum in animam ejus. Ideo præparemus vestes, antequam veniat Puer, ordinemus, antequam veniat habitator, seminemus fructum, ut gaudeamus in messem. Hinc est, quod Zelatrix Dei & proximi egestatem sæpius incurrebat, & cum suis pedissequis penuriam patiens aliorum ope relevari indigebat. Verum, cum de illo felici itinere Hierosolymitano Romam repedaret, regina Joanna certam sibi pecuniæ quantitatem in Neapolitana civitate in subsidium ex compassione transmisit. Dubitanti vero ex scrupulo conscientiæ, utrum tale munus deberet admittere, Christus apparens sibi dixit: O fatua! Nunquid pro amicitia reddenda est inimicitia, aut pro bono reddendum est malum, aut in frigido vase reponenda est nix, ut plus frigescat? Ideo dico, quod quamvis regina ex frigido corde tibi dedit, quod obtulit, tamen cum charitate & reverentia suscipiendum est a te, & orandum pro ea, ut ad divinum calorem valeat pervenire: quia scriptum est, aliorum abundantia suppleat pauperum defectus, & nulla bona opera coram Deo erunt in oblivione.

[40] [defuit ipsius cura.] Item cum semel in peregrinatione, propriis pecuniis expositis, præ inopia anxiaretur pro familia, ille potius amore sua largiendo alienis indigebit, oranti dixit: Quamvis mundus meus sit, &

omnibus omnia dare possim, tamen, quod offertur ex cordis charitate, acceptius est mihi, & ego etiam libentius ea exigo, quæ proprie mea sunt. Nunc autem, quod bona vestra expenditis hilariter pro honore meo, ideo tempore necessitatis vestræ debetis accipere de meo. Fac ergo, dic archiepiscopo istius civitatis sic: Sicut omnes ecclesiæ meæ sunt, ita omnes eleëmosynæ meæ sunt: da mihi ergo in amicis meis de his, quæ mea sunt, quia licet acceptum sit mihi erigere muros ecclesiarum; æque tamen in hac parte acceptum est mihi juvare indigentes amicos meos, qui meo amore bona sua exposuerunt. Recordare ergo, quod Eliam ad pauperem viduam destinavi, quem prius per corvos paveram: non quod eo tempore alii vidua ditiores non erant, vel quia sine vidua prophetam, qui XL diebus impastus sustinuerat, absque alimoniis sustentare non poteram, sed hoc feci, quia de charitate viduæ volui experimentum sumere, quam ego, scrutans corda & renes Deus, bene noveram, sed ut aliis fieret manifesta. Tu ergo, qui Pater es & dominus Viduæ, benefac viduis de meis, quæ quamvis ego sine te possum omnia, & tu sine me nihil, volo tamen iterum charitatem tuam in eis contemplari.

[41] [Mira patientia] Scriptum est in Evangelio, quia semen, quod cecidit in terram bonam, ortum fecit fructum centuplum, & quali modo hoc factum sit, ibidem declaratur, cum dicitur: Et fructum afferunt in patientia. Semen est Verbum Dei (huic Prophetissæ mirabiliter electæ multipliciter factum) quod in hanc terram nostram per gratiam cadens, radices quidem misit per humilitatem, crevit, ac se dilatavit per charitatem, & demum in patientia fructum suum dedit, quia nimirum in patientia possidebit animam suam. Siquidem quieta & pacifica sine querela vivens, ad omnes patiens erat, & quamvis famulantium sibi defectus, ut fieri assolet, inconcussa toleraret, debito tamen modo & tempore cum discretione atque modestia excessus corrigendo,

nequaquam Deum suum a quoquam eorum notabiliter offendi sinebat. Quanta nempe fortitudine animi mala cuncta Deum jugiter laudando exceperit, Bonificius Papa prædictus in suis Epistolis innotescit, cum dicit: Admirabilis patientia viguit in ea, ut infirmitates proprii corporis, injurias illatas, mariti & Caroli filii mortem, & adversa quæque toleraret patientissime sine murmure, sine querela semper in cunctis cum humilitate submississima Deum benedicens. Sed ne leviter vel frustra Pastor Ecclesiæ Sponsam illius, qui est Pastor bonus & verus, quique animam suam posuit pro ovibus suis, de patientiæ præconio extulisse videatur, cuncta, quæ dixit, manifestissimis libet declarare impassibilitatis * exemplis.

[42] [calumnias] Porro ut ab injuriarum toleratione exordiar, dum Magnus rex Suetiæ, qui a juventute sua devotus extitit, & inter homines laudabiliter vixit, ut opinionis ipsius rumorem hauserit, ad se autem plures vocans in his, quæ Dei erant, suis libenter innitebatur consiliis. Quamobrem plerique regni satrapæ invidebant ei, sortilegam ipsam, seductricemque aulam * acclamando minabantur. His autem liberi auditis contra profanos illos detractores insurgere voluerunt, nisi quod flexo illa genu deprecando dicebat: Nihil, obsecro, mei filii, moliamini in eos; testem etenim invoco Deum, quod patior * quibusvis maledicorum oblocutionibus, derisionibusque attrectari, quam regis vel reginæ diademate, quoad vixero, decorari: sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.

[43] In civitate Stockholmis regni Suetiæ miles quidam de nobilibus, [injuriasque] comes nuncupatus, cum vidisset regem Magnum sanctis ipsius monitis ad meliorem vitam fore conversurum, nec ab illo se sicut heri & nudius tertius fuisse susceptum, nimio succensus furore, dum quandam beata Birgitta transiret viam, utique angustam, aquam

super eam fudit de fenestra; sed ipsa patientissime ferens injuriam, Magistri illius memor, qui pro persequentibus & calumniantibus dixit esse orandum, in hæc prorumpit verba: Dignum & justum est, ut ego talia perferam; veruntamen parcat illi Deus, & non reddat illi in futuro seculo. Oranti vero ipsa die Christus dixit: Quia miles ille, qui tibi injuriam fecit, super te aquam fundendo sanguinem sitit, terram desiderat, audacter contra me loquitur: ideo caveat sibi, ne in sanguine moriatur. Quod cum germanus beatæ Birgittæ illi retulisset, Ad somnia, inquit, ego non attendo. Deus est misericors & nullum damnat. Pauco vero elapso tempore, sanguine fluente de naribus, in suo sanguine juxta verbum Domini vitam finivit.

[44] In civitate Arbuga regni prætaxati alius quidam miles admodum potens & apud regem insigniter pollens, [non raro] cum non auderet generosæ Viduæ personaliter obloqui, alium substituit, qui delictum oris sui sermone labiorum suorum adimpleret: consedente itaque illa quibusdam magnatibus in mensa, profanus ille ingrediens, & se ebrium simulans dixit: O Domina, nimis somnias, nimis vigilas, expedit tibi plus bibere, & plus dormire. Nunquam reliquit Deus religiosas personas, & cum superbis loquitur: scilicet vanum est verbis tuis fidem attribuere. Hujusmodi verbis concitati, qui aderant, de contumelioso viro vindictam capere satagebant. Tunc illa sanctum imitata Davidem, cum a Semei malediceretur, Sinite illum, inquit; Deus enim misit eum; ego quidem, cum in tota vita mea propriam quæsierim laudem, cur modo non audiam justitiam meam? Veritatem enim locutus est. His & hujusmodi verbis non parvipendendis suos pacavit æmulatores, & ab ultricibus manibus suum eripuit contemptorem; compunctus autem in his verbis homo occultam coram omnibus detexit veritatem.

[45] Item in eodem regno alius quidam satis strenuus, [sibi illatas;] regio, quod exequebatur, destitutus officio,

quod nimis communitatem opprimebat, cum omnipotentis Dei Famulæ non modicum detraxisset, eo quod tale regi consilium dederat, quatenus sui regni terras, civitatesque peragrando procuraret justitiam, dicens, quod propter justitiæ defectum regnum fuerat afflictum; nec mali in eam aliquid attentare, quam detrahendo diffamare, præsumeret; die quadam cum regi una cum multis aliis nobilioribus & magnatibus quodam in castro illa assisteret, simulans hic a circumstantibus se quasi compressum, tam valide in eam impegit, quod nisi aliorum manibus suffulta fuisset, in terram forsitan corruisset. Hoc autem rex intuens, & malitiam facti in homine cognoscens acriter eum increpare cœpit. Tunc imitanda Mulier bonitatis memor, flexis coram rege poplitibus, veniam injuriatori suo impetravit, &, ut melius potuit, sacrilegum excusavit, qui quidem miles iratus descendens de castro post triginta dies mortuus est, confitens aperte, in dominam Birgittam peccasse.

[46] [filiorum suorum Caroli] Quam vero æquanimiter, imo & hilariter suorum decessum liberorum pertulerit, sequentia demonstrabunt. Nam dum ad sanctum iret Sepulchrum, dominus Carolus major filius, sibique magis dilectus, in Neapolitana civitate quievit in pace. Quo moriente, cum animæ recommendationem clerici legerent, ipsa propius assistens nec de loco surrexit, nec lacrymas fudit, nec, ut moris est, gestus ullos dolorum fecit. Quin potius, elevatis ad cælum manibus, benedicebat Deum ex corde, regratiando ei, & suæ se voluntati totaliter conformando. Demum etsi regina Joanna cum plerisque nobilissimis, regni quoque proceres cum tota fere civitate dolentes, & flentes, comitarentur eandem, funus ad ecclesiam sanctæ Crucis monialium sequentes, siccis tunc oculis perseverans, talia secum, omnibus stupentibus, verba mussitabat: Vade, vade, fili mi, peregrine a Deo, & a me matre tua benedicte, vade, inquam, ad eum, qui te vocavit, & pretioso sanguine suo

redemit. Et, quemadmodum dominus Elzearius S. Sabinæ presbiter cardinalis testando asseruit, qui hoc ipsum, quod adjicio, sua illustri domina, domina Francisca comitissa de Anguana referente, didicerat; cum ipsa ejus genitrix beatam Birgittam in exequiis filii quasi mentis in excessu suspensam conspiceret, interrogavit: Si multum de extincto filio doleret? Cui illa: Si certissime, inquit, scirem, quod filius meus universo orbi dominari deberet, equidem nollem, quod ad istius miserabilis vitæ calamitatem iterato rediret.

[47] [& Ingeburgis mortem,] Ingeburgis sanctimonialis, filia sanctissimæ Matris, una dierum mortua nuntiabatur; tunc ipsa exhilarata nimis multoque repleta gaudio, O, inquit, mi Domine Jesu Christe! O amor meus! benedictus sis tu, quia vocasti eam, antequam ærumnosi hujus mundi laqueis irretiretur; surgensque protinus, oratorium ingressa *, ubi in lacrymas resoluta, gemitibus atque suspiriis insistebat: ab his quoque, qui foris erant, audiebatur: dicebant autem, Ecce filiam deplorat. Cui Christus apparens dixit: Mulier, quid ploras? Licet enim omnia sciam, tamen, te loquente, cognoscam. Quæ respondit: O Domine, non ploro, quia filia mea mortua est, imo gaudeo; quia si diutius vixisset, majorem coram te rationem reddere habuisset: sed hinc mei luctus causa gignitur, quia juxta mandata tua eam non instruxi & quia exempla superbiæ sibi præbui, & remissius illam delinquentem correxi. Cui Christus, Omnis, inquit, Mater, quæ ex eo plorat, quod filia sua offendit Deum, & juxta meliorem conscientiam suam instruxerit eam, illa est vere mater; veræ, inquam, charitatis & lacrymarum mater; & filia ejus est filia Dei propter matrem. Illa vero mater, quæ gaudet, quod filia ejus secundum mundum se gerere novit, de moribus ejus non curans, dummodo exaltari a mundo & honorari *, illa non est vera mater, sed noverca. Ideo propter charitatem & bonam voluntatem tuam filia tua transiet per compendium ad coronam gloriæ.

[48] Et quid de proprii corporis angustiis eloquar, cum libenter in suis infirmitatibus cum Apostolo gloriaretur, [morbos,] ut virtus Christi in ea habitaret? Nam virtus in infirmitate perficitur. Præter hoc quoque, cum adhuc in sancta civitate Jerusalem degeret, febrium & stomachi cœpit valetudine grandi infirmari, de qua & Romæ post annum defuncta est: in qua quidem valetudine sive navigans, sive terræ applicans tam patienter se habebat, quod verbum aliquod querulosum ab ea nunquam auditum est. Quin imo Redemptorem omnium ac suum præclarissimum Sponsum, quia suarum pœnarum eam participem fecerat, cum gratiarum actione semper & ubique collaudabat. Et, si quando in mari adhuc fluctuanti cibaria ac quævis necessaria deesse videbantur, dolentibus cæteris, & sibi referentibus respondebat: Nequaquam contristemini, quia tanta ac tot bona a Deo recepi, quod si omnia corporis mei membra contererentur, etiam non esset condolendum: sed nec sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Non enim surda aure acceperat, quod quendam Sanctum referentem audierat, qui in VI lib. Revelationum cap. XVI sic loquebatur Sponsæ dicens: Si pro qualibet hora, qua in mundo vixi, unam mortem pro Deo sustinuissem, si semper iterum revixissem, nunquam per hoc plene possem regratiari Deo pro charitate sua, quia laus ejus nunquam recedit ab ore meo, gaudium nunquam exit ab anima mea, gloria & honor nunquam fraudatur a visu meo, exultatio nunquam abest ab auditu meo.

[49] Denique adversitates ceteras patientissime tulit: [rerum suarum jacturam,] etenim cum in monasterio S. Mariæ de Alvastro adhuc moram traheret, occurrit ei quadam die, qui diceret: Domina, magnum nuper damnum incurristi; nam ea bona, quæ in villa de Fundia possidebas, combusta sunt, multumque de blado & utensilibus perdidisti. Tunc illa, non gravatam, sed

exoneratam se sentiens, absque ulla respondit tristitia: Benedictus sit Deus, qui me juste remunerat; ego quippe donis Dei abusa sum, nec debitas pro eis gratias hactenus Largitori rependi, neque pro animabus bona illa prius possidentium ferventer oravi; ideo sit ei omnis honor & gloria, qui me de hoc liberavit. Requisita vero a fratre Petro magistro suo, quemadmodum se interius in animo haberet, incunctanter respondit: Dolor est modo propter mundialia ista cogitare; nam toto corde cogito & desidero esse pauper, & si Deo placere possem, etiam pro ipsius amore mendicare vellem: nam veniet dies, quo invita quoque cuncta dimittam: ideo magni meriti est illa derelinquere, quæ adhuc delectat habete.

[50] Contigit eam in peregrinatione transmarina in portu quodam Jerosolymis proximo pati naufragium; [& naufragii periculum patienti, gratoque in Deum animo tulit.] nam galea, in qua erat, rumpebatur, & aqua replebatur: quocirca dominus Alphonsus eam de sentina galeæ fecit educi, & in parva puppi, ut non periret, festinato illam recipi. Et cum omnes promiscui sexus, qui in eadem galea fuerant, miserabiles fletus, ejulatusque facerent, suavis tota atque pacifica ipsa perseverans, absque ulla rerum suarum in mari submersarum & perditarum mentis turbatione ad littus salva pervenit. Sed nec quisquam eorum, qui secum in galea erant, meritis ipsius & precibus, sancto hoc sibi revelante spiritu, submersus est. Dixerat enim ei: Ne timeas, quia nullus de galea hac in isto morietur naufragio. Quod verbum illico natæ suæ, Dominæ scilicet Catharinæ, solatiando manifestavit: ait enim dominus Alphonsus, quod, ab interitu liberata, exhilarata non modicum, ad cælum manus levans ex intimis medullis Deo gratias referebat; requisita autem ab eo, quare sic faceret, aut qualis in ejus mente se tunc cogitatus versaret? Respondit: Quantum, o fili, regratiari Deo teneor, qui me dignam fecit pro ipsius amore aliquid mali perpeti! Ideo nunc

gratias refero sibi, quod tribulationem istam nobis permisit fieri.

## ANNOTATA.

Obiit Ulpho maritus ejus anno 1344 die 12 Februarii in monasterio Alvastrensi factus monachus, verosimiliter Cisterciensis, ex num. 140 & seqq. Carolus, ejus filius, obiit Neapoli anno 1372, cum una cum matre Hierosolymam tenderet, proin non in bello sacro, ut aiunt nonnulli. Vide de illo dicta Comment. præv. num. 68 & aliquot seqq.

S. Francisci, quarum quidem monasterium (nam ecclesia jam ante exstabat) anno 1338 a Sancia regina Siciliæ condi cœptum est, sed anno 1443 conversum in usum Minoritarum, qui ex ærario regio alebantur: Nunc vero, inquit Waddingus ad annum 1338 num. 22, illud inhabitat numerosa multitudo fratrum strictioris observantiæ, qui ex ostiaria mendicitate quotidie sibi victum acquirunt.

Cognomento de Sabrano, Guilielmi, S. Elzearii (de quo in Opere nostro ad diem 27 Septembris actum est) Ariani in Apulia comitis, fratris & heredis filius, a S. Birgitta, ut lib. 7 Revelationum cap. 5 videre est, ad sanctiorem vitam traductus. Cardinalium cœtui adscriptus fuit ab Urbano VI anno 1378: idem Urbani VI jussu S. Birgittæ Constitutiones examinavit & approbavit, ut liquet ex Urbani Bulla: His, quæ pro divini cultus augmento &c, data anno 1379, tertio die Decembris: verum in hac Cardinalis presbyter S. Balbinæ, non Sabinæ, vocatur, uti & ab Ughello tom. 6 Italiæ sacræ, ubi de episcopis Teatinis col. 746, a Contelorio & ab Oldoino.

## CAPUT IV.
## De obedientia ejus erga Patres spirituales, modo spiritualiter vivendi, & peregrinationibus sacris.

[E directorum uorum] Spiritualibus suis patribus a tam humiliter detulit, tam officiose servivit, tam prompte obedivit, tamque perfecte propriam a se voluntatem abdicavit, quod vix admittit credulitas; quod non solum domum egredi sine licentia, vel quidquam aliud quamvis minimum facere * præsumebat; imo, quod mirum valde est, sanctuaria Romæ visitans, nec oculos quidem de terra levare, seu quemquam respicere præsumebat. Cum enim ad stationes Romæ cæterasque pergeret devotiones, demisso capite incedebat, ne, si in exterioribus sensus occuparentur corporis, ab interiori mens custodia cohibeatur. Visiones quippe divinas & revelationes, quas habebat, cogitationes, inspirationes, tentationes spiritualibus patribus referebat: illud tenens, illud respuens, illud quoque semper prospiciens, quod ipsi præcipiebant, prohibebant, & consulebant. Habebat duos seniores, maturos, virgines, atque expertos patres spirituales, qui usque ad ipsius obitum eam secuti sunt, quorum unus monachus & Prior Cistertiensis religiosissimus erat; alter vero presbiter quidam sæcularis de Suetia venerabilis & sanctissimæ vitæ, dominus Petrus nuncupatus, qui omnem beatæ Birgittæ domum regebat, ipsam cum filia Grammaticam & cantum, Christo jubente, docebat & in virtutum via paternalibus correptionibus virtuose educando utrasque edocebat. Silentium insuper, orationes & temporum ordinationes primarias, & vigilias, cunctaque alia de consilio & licentia patrum observabat & faciebat; eorum nihilominus jussionibus quantumcunque arduis, propriæ voluntati contrariis, illico & sponte & semper obtemperando.

[52] Unde, cum adhuc in partibus suæ originis resideret, in monasterio Alvastri gravem incurrit infirmitatem adeo, [jussu nutuque,] quod nullo modo curari eam posse, medici assererent, nisi balneorum uteretur adminiculo; quod, ut audivit, ægre tulit, tum quia abstinere a talibus jam statuerat, tum quia, sublato conjuge, inconveniens

sibi dissolvi delitiis judicaret. At vero magister Mathias, tunc confessor suus & pater, hoc audito, dixit: In virtute tibi sanctæ obedientiæ præcipio, quod, quidquid a medicis consultum tibi fuerit, incunctanter facias, ut & tu corporis sanitate læteris, & per te cæteri animarum salutem consequantur. Cui illa, O mi Pater! inquit, si simpliciter mihi, fac, dixisses; fecissem utique, quanto magis, quia authoritate tanta jubendo mandasti: nam in anima mea summe gaudeo, quod vestri obedientiam sine remorsu conscientiæ habeo pro obedientia; quippe cuncta quantumvis difficilia admittere, insuper & mortem subire parata sum.

[53] [etiam ob hoc a Christo laudata,] Die autem secunda post hoc oranti sibi Christus apparuit, dixitque: Scias, quod illi, qui videbantur spirituales in veteri lege, vocabantur Pharisæi, qui habebant tria: lavabant autem se jugiter, ut viderentur mundi; jejunabant, & orabant in aperto, ut vocarentur sancti; docebant & præcipiebant multa, quæ ipsi minime faciebant: sed modicum profuit eis apud Deum, quia intentio eorum erat corrupta & anima immunda. Ergo sicut non profuit animæ lotio carnis sine munditia conscientiæ, sic nec obest animæ mundæ lotio carnis, dummodo fiat ex compassione & absque delectatione. Ideo plus placuit mihi, quod obedisti magistro tuo contra velle tuum, quam si tuam secuta fuisses voluntatem contra præceptum ejus. Nam multi electorum meorum fuerunt, qui non carnales medicinas habuerunt, & placuerunt mihi: alii vero secundum dispositionem temporum & locorum ac infirmitatum diversarum adhibuerunt sibi medicamenta, nec propterea displicuerunt mihi; ideo obedientia illa, quæ nihil habet de propria voluntate, plus mihi placet, quam sacrificium magnum.

[54] [tota pependit] Item cum sobrietatis amore & pœnitentiæ zelo, nec non illius amarissimi potus patientis

Christi contemplatione extra horam bibere recusaret; accidit quadam vice, tantam eam sitim perferre, quod vix posset verba formare: hoc agnito, supradictus magister jussit eam potum sumere; &, quanquam non modicum sibi difficile contra priorem venire consuetudinem videretur, tamen absque mora paternæ parens jussioni audivit in spiritu; Quid times mutare vitam? Nunquid bonorum tuorum egeo, aut meritis tuis cælum intrabis? Obedias ergo magistro tuo; ipse enim expertus est conflictum duorum spirituum, scilicet veritatis & illusionis. Nam, etiamsi decies comederes & biberes in die propter obedientiam, tibi non imputabitur.

[55] [ex amore obedientiæ.] Refert Prior de Alvastro, quod dum ipse quadam die librum, qui "Speculum virginum" prænotatur, in quo peregrinus monachus cum Theodora virgine de omnibus disputat virtutibus, coram illa legeret, se vidente, beata Birgitta in spiritu rapta, ad se autem conversa, dixit: Audivi nunc in spiritu vocem mihi dicentem; quod virginitas meretur coronam, viduitas appropinquetur Deo, conjugium non excludat a cælo, & obedientia omnes introducit ad gloriam. Præfert etiam Maria virtutem obedientiæ lib. IV Revelationum cap. XXVI sub exemplo duorum hominum, dicens ad Birgittam: Ecce, si videris duos homines, alius est sub obedientia, alius in libera potestate: si ille, qui liber est, jejunet, simplicem habebit mercedem: sed si is, qui sub obedientia est, comedat illa die carnes secundum instituta Regulæ suæ, & propter obedientiam, attamen libentius jejunaret, si non obsisteret obedientia, iste habebit duplicem mercedem, unam propter obedientiam, aliam propter dilationem desiderii sui, & non impletionem suæ voluntatis.

[56] Ut ea, quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ sunt Dei Deo, [Tum in Suecia,] juxta verbum Evangelicum Christi Discipula redderet, quod similiter Salomon dicit: Omnia

tempus habent sub sole. Taliter enim ordinarie Creatori suo famulose * cognovi. Etenim postquam suæ originis partibus vale fecisset, conjuge de medio sublato, omnia reliquit temporalia, & omnem pompam seculi a se penitus abdicavit in monasterio S. Mariæ de Alvastro (ubi suum inhumaverat complicem) humili in veste Deo deserviens die qualibet per veram cordis contritionem & humilem oris confessionem peccata sua diluebat; & si forte aliquod verbum asperum vel inane contra aliquem de familia dixisset, extemplo illud confitendo emendabat, non semel duntaxat, sed pluries; in nocte ad orandum surgebat, & in galli cantu ex toto, & donec Prima esset decantata, in ecclesia consistebat. Cum vero præ frigoris intensitate adibat æstuarium, partem Psalterii recitabat, quam diu inibi morabatur. Dein ad ecclesiam remeans usque ad prandium moram traxit orando, horasque canonicas audiendo. Post prandium vero orationem repetens operi manuum pro cultu divino sedula, devotaque insistebat: nec opus aliud, quam pium quoque, exercebat. In vigiliis ad ecclesiam repedabat, domum sero reversura, ubi, cæna sumpta, si sumenda erat, negotiisque expeditis, legebat Completorium, nemini usque ad mane verbum faciendo.

[57] Postquam autem Romam deveniret, tali eam modo vixisse, [tum Romæ] perlege. In mane siquidem post vigilias, orationesque nocturnas, antequam domum egrederetur, contrito & humiliato corde (quod Deus non despicit) Confessionem devotissime faciebat; & in aurora domum egressa, visitabat sanctuaria: circa horam nonam, quia similiter corporeæ necessitati annuere oportebat, domum reversura *; reversa ergo consedebat ad mensam, normam illam, quam sibi constituerat, observando: fecerat quippe ordinationem quandam sanctam, sub qua viveret, & in mensa staret; quam semper præ oculis habens coram se poni faciebat, si in cibo, potu, locutioneve quovis modo eam transgredi contigisset.

Terque omni vice Redemptoris sui passionem memorabat in mensa: in principio scilicet, antequam cibum sumeret, in medio & in fine. Quod revera etsi confessores ipsius secretius noscerent, quorundam tamen exteriorum editione signorum, uti complosis manibus, respiratione, in cælum sublatis oculis, palmas sursum attollendo, & his similibus liquido perpendebant. Nonnunquam vero interim mens ipsius in tantum cælestium contemplatione levabatur, quod, quamvis ibidem corporaliter degeret, e sensibus tamen corporis rapta, nihil ex his, quæ tunc ibi agebantur, donec ad se rediret, penitus advertebat.

[58] Silentium præterea, dum cibum sumeret, sollicite observabat, magisque intenta erat lectioni animam saginanti, [certum stabilemque vitæ modum tenuit,] quam escæ corpus reficienti. Cæterum de mensa surgens, cameram vel capellam introibat per spatium aliquod oratura: deinde vero usque ad Vesperas in aliquo pio opere corporaliter se exercebat: post vero ibat ad S. Petrum vel aliquam stationem: unde rediens, si jejunii dies non erat, dicebat primo Completorium, cæterasque orationes persolvebat, tunc demum cænatura. Si vero jejunium agebat, collatione facta cum confessoribus & filia, orationes suas & laudes Deo decantabat: quibus finitis, in camera cum filia se recipiens omni custodia usque in diem alium silentium observabat. In die quoque sequenti ante prandium per quatuor horas silentium continuando vacabat orationibus, post prandium nihilominus, una duntaxat excepta hora, quam ad loquendum consolatoria, & honesta verba familiæ condescendendo deputaverat, diem integrum in silentio transigebat.

[59] [variasque interdum] Tam multas, tamque longinquas devotione calens Christi Sponsa peregrinationes fecerat, quod bene merito in admirationem vertat audientes. Nam cum marito suo adhuc superstite, quem sanctis non parum

oblectabat monitis & exemplis; cum aliquibus etiam aliis sibi familiaribus clericis atque laicis devotionis causa ecclesiam S. Jacobi in Galitia devote visitavit, Coloniamque sacras trium Magorum visere reliquias adiit, nec non ad Aquisgranum, ubi B. V. Mariæ reliquiæ conduntur, visitavit. Præterea corpus S. Mariæ Magdalenæ, quod in S. Maximino venerabiliter asservatur. Item reliquias S. Marthæ, quæ in Terascona condita sunt. Item corpora Apostolorum Thomæ & Andreæ, quæ infra limites regni Siciliæ plebs fidelis digna veneratur honorificentia. Ecclesiam quoque S. Nicolai de Baro, & S. Angeli de monte Gargano. Corpora insuper eximiorum Doctorum Ambrosii & Augustini nullatenus censuit invisa præterire. Sed & B. Francisci limina, cum multos ad equitandum equos habere potuisset, propriis innixa gressibus de Roma transiens usque ad Assisium, humilem Deo & Sanctis ejus exhibendo famulatum, cum non modico adiit labore. De hoc vide lib. VII cap. III.

[60] [peregrinationes sacras] Ex magna quoque, qua ad sanctum Olavum regem devotione afficiebatur, cum adhuc in Suetia foret, ad Norwegiæ regnum per dietas XXX, quanquam & pro nunc plures utique haberet equos, quos ascendere potuisset, per pedes deambulavit, ut illius sanctissimum corpus veneraret. Romam vero incolens, quamdiu ibidem moram traxit, quantumlibet intensi vigerent calores & frigora, pluviæque essent, & viæ lutosæ, stationes & sanctuaria peditando indefesse requirebat: ex quo adeo interdum vexabatur, quod pene deficere videbatur; unde si quandoque a locorum devotorum frequentia quomodolibet impedita devotioni suæ satisfacere minime potuisset, non sine ingenti hoc mentis angore ferebat. Hinc est, quod in VI libro Mater Dei sibi loquebatur dicens: Cur sic turbaris, filia? Respondit illa: Quia, Domina, non visito loca ista, quæ sunt in Roma: Et Mater; Permittitur tibi, inquit, visitare

loca ista cum humilitate & devotione reverenter: quia in hac Roma majores sunt indulgentiæ, quam homines credere possint, quas sancti Dei glorioso sanguine suo & precibus a Filio meo impetrare meruerunt. Veruntamen, Filia, non dimittas propter hoc scholas tuas in Grammatica, nec patris tui spiritualis sanctam obedientiam.

[61] Tandem, cum senex esset, & prævie multis incommodis, [instituit] excessivisque laboribus corporis viribus destituta, Jerosolymam ex præcepto Christi perrexit; sancta nimirum loca illa, in quibus idem perdulcissimus Sponsus suus Christus nasci, versari & pati voluit, & mori, visere anhelans, duxitque secum natos suos strenuos milites, dominum Carolum, quem *, ut supra dixi, in accessu decessit & dominum Birgerum cum Domina Catharina ac confessoribus nec non cum multis aliis se comitantibus. Quam vero gratum sit Deo, hominibusque proficuum loca sancta visitare, sanctorumque reliquias honoribus attollere, satis ex eo patet, quod Jerusalem Sponsæ adventanti Christus loquebatur dicens: Quando intrastis templum meum dedicatum sanguine meo, sic mundati estis ab omnibus peccatis vestris, ac si tunc levati essetis de fonte Baptismatis, & propter labores & devotionem vestram aliquæ animæ consanguineorum vestrorum hodie liberatæ sunt, & intraverunt cælum in gloriam meam. Nam omnes, qui veniunt ad locum istum voluntate perfecta se emendandi juxta meliorem conscientiam suam, non voluntatem habentes recidivare in propria peccata; his omnia peccata præterita dimittuntur, & augetur eis gratia perficiendi.

[62] Item in IV cap. libri VII loquitur dicens; Dicere tibi volo de alio thesauro, [ex singulari, qua in Sanctos,] qui nondum est in cælis, sed est vobiscum in terris: hic thesaurus sunt reliquiæ & corpora amicorum meorum Sanctorum, sive putrida sunt, sive recentia, & si reversa

sint in cinerem, ac in pulverem, sive non, ipsa sunt certissime thesaurus meus. Sed quærere poteris: cum loquitur Scriptura: Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum; quomodo ergo est cor meum cum thesauro isto & cum reliquiis Sanctorum? Respondeo tibi: Summa mea dilectio est omnibus visitantibus loca Sanctorum meorum, & honorantibus reliquias, eorum scilicet, qui miraculis glorificati sunt, & a summis Pontificibus canonizati, retribuere æterna præmia secundum voluntatem & fidem & labores visitantium ea; ideo cor meum est cum thesauro meo. E contra vero non parum Deo displicet, cum iste thesaurus sibi charissimus minus a nobis attenditur, & honoratur. Quod patet ex hoc: nam, cum die Purificationis Mariæ Virginis devota Mulier in ecclesia Scarensi y existeret, odorem tunc suavissimum insolitum hausit: admirata ergo, & in excessu mentis facta, totius decoris Virginem Matrem Dei cum viro miræ pulchritudinis, pontificalibus ornamentis decorato, domino scilicet Brinolpho quondam Scarensi episcopo conspiciebat. Cui Virgo dixit: Scias, Filia, quod iste episcopus honoravit me in vita sua, & honorem opere confirmavit; cujus vita, quam acceptabilis fuerit Deo, odor, quem sensisti, demonstrat. Nunc autem anima ejus est in conspectu Dei, tamen corpus ejus jacet hic in terra sine honore, & sic ista margarita mihi dilecta locata est inter porcos.

[63] Item cum adhuc esset magistra dominæ Blanchæ, [eorumque reliquias] reginæ Suetiæ, capsulam eburneam pulcherrimam, in qua multæ Sanctorum reliquiæ claudebantur, obtinuit, inter quas pretiosi corporis S. Ludovici quidpiam, quod de Francia secum regina portarat, miscebatur: casu ergo accidente, capsula in loco minus decenti a servitoribus posita fuit, & oblita. Tunc beata Birgitta vidit in spiritu de supradicto vase splendidum lumen prodire, & admirata, vocem sic dicentem audivit: Ecce! Thesaurus Dei, qui honoratur in cælis, despicitur in terris; ideo transmigremus ad alia

loca: quod ipsa audiens & pœnitens in altari illud decenter collocari fecit. Cum peregrinationis causa esset in Orchone * in regno Neapolitano, apparuit ipsi S. Thomas Apostolus, cujus reliquiæ ibi sunt, dicens: Revertere iterum huc, & ego tuum adimplebo desiderium. Cum ergo secunda vice illuc reverteretur, rursus B. Apostolus adveniens dixit: Diu desideratum tibi dabo; & absque cunctatione, nemine tangente, aut alias impellente, frusticulum ossis Apostoli Christi de capsula reliquiarum ad manus sanctæ prosiliit Mulieris, quod illa gaudenter suscipiens reverenter quoque studuit conservare. Aderant tunc namque dominus Thomas, Vexionensis episcopus, cum multis aliis, qui istius sunt testes miraculi.

[64] [ferebatur veneratione & amore.] Fuit in civitate Neapolitana in monasterio monialium, quod S. Crucis dicitur, soror quædam, Clara nomine, sanctæ, ut dicebatur, vitæ quæ de capillis Virginis Mariæ, ut aiebat, a Regina Sancia ac impetrarat conditione, ut nulli personæ, nisi per quam certissime sciret honorandas, sanctissimas impertiretur reliquias. Cum ergo B. Maria * ad eandem civitatem veniret, prænominata Christi famula ad se illam vocari fecit, & tradens ei thesaurum pretiosum dixit: Propter Deum rogo te, ut illum recommendatum habeas, &, sicut decet, venereris, quia, ut tibi eundem assignarem, edocta sum. Custodi ergo & conserva diligenter tibi depositum, quod tibi hodie commendo, & hoc erit tibi signum, quod hæc loquar; quia cito moriar, & veniam ad illum Dominum meum, quem super omnia dilexit, & diligit anima. Paucis post hoc supervivens diebus quadam die, cum adhuc esset incolumis, Ecclesiæ Sacramenta sibi petiit ministrari, quibus munita universæ viam carnis est ingressa. Cum vero de veritate rei beata Birgitta anxiaretur, illa, quæ veritatem noverat, apparuit ei, dixitque: Quemadmodum creditur, & verum est, quod de Joachim & Anna ego nata sum, ita verum est, quod

meo in capite crines isti creverunt. Hæc Maria, & ita nimirum spiritualis cujusdam affinitatis ratio exigebat, ut Matris pignus Sponsæ Filii committeretur.

## ANNOTATA.

Dicuntur illorum corpora ex Oriente Constantinopolim, inde Mediolanum ac tandem Coloniam seculo XII translata Frederici Ænobarbi tempore.

Inter reliquias septennio quolibet Aquisgrani populo ostendi solitas numeratur indusium B. Mariæ Virginis, quod a Carolo Magno illic depositum ferunt.

Oppidum est Galliæ in Provincia: de reliquiis vero S. Mariæ Magdalenæ, eo loci servatis, vide tom. V Junii pagg. 215 & 222.

Tarasco in eadem provincia est, & præcipuo illic in honore est S. Martha, Christi hospita, de qua vide dicta in Opere nostro ad diem 29 Julii, quem sibi sacrum habet.

Quiescit S. Ambrosii corpus Mediolani in sui nominis basilica; S. Augustini reliquiæ præcipuæ Ticini in Insubria. Vide dicta in Opere nostro ad diem 28 Augusti.

De S. Francisco prolixe tractatum est in Opere nostro ad diem 4 Octobris. De hac S. Birgittæ peregrinatione actum est numm. 289 & tribus seqq. Comment. prævii. Assisium est civitas Umbriæ.

## CAPUT V.
## De pudicitia & castitate ejus, jejuniis & pœnitentiis.

[Castitatem perpetuo coluit;] Quanquam B. Birgitta conjugio fuerat astricta, semper tamen castissimam,

pudicissimamque fuisse, magisque continentiam, quam carnalem copulam dilexisse, probatur. Nam, quemadmodum filiæ suæ Catharinæ referre consueverat, antequam nuberet, in sancta virginitate Deo cunctis * vitæ suæ quam maxime deservire cupiebat, maluissetque, ut aiebat, mortem subire, quam matrimonium: dum vero desponsaretur viro, licet eleganti, non libens, sed renitens, parentibus tamen demum consentiebat. Desponsata ergo magnifico viro domino Ulphoni de Ulphon, Principi a Nericiæ, circiter biennium amplexum differentes orabant jugiter, ut, si convenire deberent, talem prolem gignerent, quæ numquam Deum offenderet, sed sibi indefesse serviret; consummatoque matrimonio, omni vice, qua in id ipsum redire debuissent, orationem præmittentes, postulabant obnixius, ne peccare eos contingeret, sed fructum bonum Deo gratum de se producerent: in Quadragesima autem conjunctionem devitantes, maritus quidem in lecto, ipsa vero super tapetum bancho superpositum decumbebat. Testimonium sibi perhibet Dominus Alphonsus, quod adeo in gestibus erat morigerata & honesta, quod bene conjici poterat, innatam sibi fore castitatis virtutem: etenim nec aspectum oculorum erigebat a terra, verum cum magna pudicitia & gravitate, uno & unico viro suo vita functo, nemini alii de cetero voluit copulari, sed casto fidelique amore suum amplectens Creatorem, ac diligens, illique se totam penitus impendens, eumdem Deum ac Dominum suum & filium Virginis Jesum Christum sponsum merebatur accipere.

[66] [quare a Christo] Hinc est, quod in primo Revelationum libro, XXXVIII cap. Pater loquitur ad Filium dicens: Ecce fili, hanc novam Sponsam assigno tibi &c. Hinc etiam in secundo capite ejusdem libri dicit Sponsus ad Sponsam: Ego elegi te, & assumpsi te mihi in Sponsam, ut ostendam tibi secreta mea, quia mihi sic placet. Tu etiam quodam jure facta es mea, cum in morte mariti tui

voluntatem tuam in manus meas assignasti; cum etiam, eo defuncto, cogitasti & rogasti, quomodo pauper pro me esse posses, & voluisti omnia pro me relinquere: & ideo jure facta es mea, & oportuit me pro tanta charitate tibi providere; propterea assumo te mihi in Sponsam & in meam propriam delectationem, qualem Deum decet habere cum anima casta. Hæc ibi. Hinc insuper velut acceptam Sponsam ornari atque ad nuptias præparari eam decet: cum in loco supra notato immediate loquitur ad eandem dicens: Ad Sponsam igitur pertinet paratam esse, quando Sponsus voluerit nuptias facere, ut sit ornata decenter & munda.

[67] [in Sponsam fuit accepta,] Tunc bene mundaris, si cogitatio tua semper sit circa peccata tua, quomodo te in Baptismo de peccato Adæ mundavi, quoties in peccata lapsam te supportavi & sustinui: debet etiam Sponsa habere signa Sponsi sui in pectore, hoc est, attendere beneficia & opera, quæ pro te feci, scilicet, quod nobiliter te creavi tibi dando corpus & animam, quam nobiliter te ditavi dando sanitatem & temporalia; quam dulciter te ad gratiam reduxi, cum pro te mortuus fui & hæreditatem amissam tibi restitui, si habere volueris. Sponsa debet etiam facere voluntatem Sponsi, quæ est voluntas mea, nisi quod velit diligere me super omnia, & nihil velle aliud, nisi me. Hinc est etiam, quod provido, fidelique servo suo custodiendam, alendamque eamdem Sponsam suam cælestis Sponsus tradit. Loquitur enim angelus ad Christum in cap. XVI, VI libri: Laus sit tibi, Domine mi, ab omni exercitu tuo pro omni dilectione; tu assignasti custodiæ meæ hanc Sponsam hic stantem. Ecce ipsam tibi iterum reassigno &c. Hinc quoque spirituales ex ea filios procreandos repromittit, cum in primo libro cap. XX eidem inquit, inter cætera dicens: Eris enim fructifera semine spirituali multis profutura &c.

[68] Rursum Virgo Mater Dei paulo ante ipsius Sponsæ obitum loquebatur sibi dicens: [& a Deipara] Si fæmina infirma parit, omnes filii ejus, quos parit, infirmantur: sed tu paries filios sanos ac fortes & Deo devotos, & ideo sanaberis melius, quam unquam prius fueras, & non morieris; sed vives, & venies ad locum tibi promissum & paratum. Nam S. Franciscus diu fuit infirmus, attamen tunc fecit fructum, & velle Dei; sed postea sanatus fuit, & facit majora, quam infirmus. Sed quærere potes, quare tantum infirmitas tua prolongatur, naturaque ac fortitudo consumitur? Respondeo tibi, quod Filius meus dixit tibi in Jerusalem, quod peccata tua dimissa fuerant tibi, quando templum sancti ipsius sepulchri ingrediebaris, ac si tunc de Baptismo levareris; sed non dixit tibi, quod nihil pati deberes, quamdiu in hac vita vives. Ideo voluntas Dei est, ut charitas hominis respondeat charitati Dei, & quod neglectum per pœnitentiam diluatur. Reminiscere insuper, me sæpius dixisse tibi, quod Filii mei meaque verba spiritualiter ac corporaliter possint intelligi, quemadmodum in Stralesondis dixi tibi: quod si ante verborum istorum perfectionem vocata fueris de mundo, propter voluntatem tamen bonam monacha censeberis, nec non cunctorum tibi promissorum particeps eris. Hæc Maria cap. LXVII Revelat. Extravag.

[69] Hoc verbum ex eo forsitan dicitur, quia, prout in fine brevis ipsius Legendæ continetur, [in nurum] a Sponso suo sibi fuerat promissum, quatenus in monacham ante ipsius Sponsi altare vestienda, consecrandaque fuerat. Item sex diebus ante felicem suum transitum loquebatur illa, quæ supra, dicens: Quid dicunt medici? Nonne, quod morieris? Vere filia ipsi non attendunt, quid est mori: nam ille moritur, qui separatur a Deo, qui obduratur in peccato, qui immunditias peccatorum per confessionem non evomit; ille etiam mortuus est, qui non credit Deum, nec diligit Creatorem suum, sed ille vivit, & non moritur, qui semper timet Deum, qui confitendo peccata sua purgat,

qui ad Deum suum toto annixu suo pervenire desiderat. Verum quia Deus naturarum loquitur tecum, qui etiam contra naturam disponit, & tenet vitam tuam, ideo in medicamentis non est salus, nec vita; sed nec etiam necesse est inniti medicinis, quia modicum tempus modico indiget cibo. Denique alma Christi Mater Sponsam Filii sui, nurum suam censuit appellandam, ut habes VI libro, cap. LXXXVIII, dicens: Sicut Filius meus imposuit tibi nomen novæ Sponsæ suæ, sic ego voco te nunc Nurum Filii mei; nam sicut pater & mater senescentes & quiescentes imponunt nurui onus, & dicunt ei ea, quæ sunt facienda in domo; sic Deus & ego, in cordibus hominum senes & frigidi a charitate eorum, indicare volumus amicis nostris in mundo per te voluntatem nostram.

[70] Tanti proinde, tamque venusti Sponsi, quamvis castissimi, [& ab utroque familiariter habita.] amore Sponsa languens, floribus fulcita virtutum, malisque stipata virtuosorum actuum suorum, nutu oculorum eundem ad se advolare faciebat, in cujus amplexus ruens, & oris sui osculo osculari se deposcens ineffabilibus cum eo delectationibus jucundata, vere dicere poterat: Delectationes in dextera tua usque in finem. Quali nempe oblectamento pudicitiæ mater castitatisque alumna, cum excellentissimo atque castissimo suo cælesti Sponso, specioso forma præ filiis hominum, frequentissime fruebatur in cap. XXXII, lib. primi poteris invenire; ubi Christus sciscitatur ab ea inquiens: Dic mihi tertio, utrum tibi placet delectatio carnis, quam prius habuisti; an delectatio Spiritus, quam nunc habes? Et illa respondit: Pudor est in corde meo cogitare de illa carnis delectatione priori, & est mihi nunc quasi venenum, & eo nunc amarior, quo prius eam dilexi ferventius. Mallem enim mori, quam unquam in illam redire, & nulla est comparatio hujus spiritualis delectationis ad illam. Tentata est aliquando Sponsa Christi de cogitationibus

immundis, cui Virgo Maria apparens dixit: Diabolus est sicut explorator immundus, quærens accusare & impedire bonos; ideo tu conare, & ora, quandocunque tenteris, quia desiderium bonum & conatus imputabitur tibi pro oratione, & si sordida advenientia non poteris rejicere a mente tua, illi conatus reputabuntur tibi ad coronam, dum non consenseris in illis sordidis cogitationibus & sint contra voluntatem tuam.

[71] [Duro admodum] Macerabat jugiter Dei Famula multisque modis carnem suam, & spiritui servire cogebat, castigans cum Apostolo corpus suum & in servitutem redigens, ne, dum aliis prædicasset, sive alios informasset, ipsa reproba efficeretur. Qua in re vigiliis, jejuniis & disciplinis, aliisque pœnitentiis, & carnis afflictionibus insistens Deo exhibebat corpus suum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile nihilominus obsequium suum; quemadmodum Bonifacius Papa IX in suis epistolis brevibus admodum explicans verbis, Post mariti, inquit, mortem ob reverentiam SS. Trinitatis ad nudam carnem quandam cordam de canape cum plerisque nodis detulit stricte ligatam. Et similiter circa singulas tybias subtus genua singulas cordas similiter connodatas etiam tempore infirmitatis detulit: nec pannis lineis, præterquam in capite, usa est. Vestes hyspidas circa carnem, superius vero non secundum personæ conditionem; sed multum humiles & abjectas deportavit, & non solum eas, quas S. mater jubet Ecclesia, vigilias seu jejunia observabat; sed alia multa superaddebat, ut etiam ultra Ecclesiæ mandatum quater in hebdomada jejunaret, & similiter, conjuge nondum vita functo, & post obitum ejus continue usque ad paucos annos ante suum felicem transitum solitis pannis induta super tapeto, absque paleis, culcitra vel similibus ad terram vel pavimentum posito, corpus ab orationibus & abstinentiis ac labore divino fessum tenui & brevi somno recreabat.

[72] [visa est] Singulis quoque sextis feriis beatissima Sponsa Christi ob memoriam sacratissimæ passionis Domini nostri Jesu Christi pane duntaxat & aqua contenta jejunium non omisit. Cum etiam multos alios dies ob diversorum Sanctorum reverentiam simili abstinentia pertransiret, & sive jejunio abstineret, sive aliter discumberet, cum sobriissima erat, de mensa surgebat, non saturata, sed refecta. Eisdem quoque sextis feriis de candelis cereis accensis stillas candentes & ignitas eliquabat super nudam carnem, ita ut adustæ cicatrices continue remanerent, & gentianam amarissimam herbam seu radicem ejus retinebat in ore. Romæ insuper degens non rigorem frigoris, non æstivos calores, non impedimenta viæ lutosæ, non pluviarum, aut nivium seu grandinum asperitates curans, stationes per singulas ecclesias ordinatas, variasque alias sanctas ecclesias visitans, licet eques pro suis facultatibus ire potuisset, tamen supra extenuati corporis vires enitens, peditans visitavit. Omni die tot tamque longis genuflectionibus usa fuit, ut genua ejus rigerent in duritiem, ut ita dixerim, camelorum. Hucusque Bonifacius.

[73] Verum ut hoc, quod de jejunio & abstinentia dictum est, [vitæ genere,] plenius disseratur; sciendum est, quod per totum anni circulum (ut etiam præfatum est) in sextis feriis in pane & aqua jejunabat. Item vigilias gloriosæ Virginis Matris Dei, Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, SS. Angelorum, Octavam sanctorum omnium Apostolorum, sancti Joannis Baptistæ, Joannis ante Portam Latinam, Laurentii, Vincentii, Clementis, Dionysii, Sebastiani, Olavi regis Norwegiæ, sanctorum confessorum Nicolai, Benedicti, Francisci, Sigfridi, sanctarum Virginum Catharinæ, Agnetis, Margarethæ, Cæciliæ & Agathæ, ac etiam Magdalenæ pari jejunio peragebat. Cum marito quoque discumbens, lautioribus ferculis caute sepositis, utebatur grossioribus, &, quod adhuc magis est, magnæque virtutis & continentiæ

præconium, timens interdum redargui ab eodem suo complice, qui panis & aquæ jejunium aspernabatur, sedens quidem cum ipso ad mensam, argenteum vas desuper cum coopertorio clausum, ubi clam puram aquam detinebat, secum habens, fingebat se eisdem vesci, quibus & ille; sed revera pane duntaxat, & aqua tunc reficiebatur.

[74] Fugiebat namque summopere jactantiam & singularitatem pro posse devitabat, [adeo ut ejus hac in re] singulorum quoque moribus humiliter coæquando; unde si quando cum magnatibus sedere eam contigisset, de singulis ferculis frusticulum ori suo applicuit, simulans se de omnibus comedere, cum ab omnibus fere abstineret. Tam fervens spiritu erat, quod non frigus, non calorem, non quasvis corporis molestias seu incommoda verebatur, quo minus conceptum animi vigorem exequeretur. Quapropter a confessoribus nonnunquam & spiritualibus, imo & cælo etiam correpta monebatur de nimiis pœnitentiis, excessivisque laboribus. Unde in VI libro, cap. XCI scriptum est, quod, cum Sponsa ipsa esset nimis de jejuniis & vigiliis, ac aliis in capite & corpore defectuosa adeo, quod divinorum verborum minus capax fieret, Christus dixit ei: Vade & da corpori moderata necessaria; quia sic placet mihi, ut caro habeat moderata necessaria & anima non impediatur a spiritualibus propter ejus defectum.

[75] In IV vero libro Agnes loquitur ad Birgittam dicens: [fervor non semel fuerit reprimendus.] Filia, sta stabilis & non retrocedas, quia serpens mordens jacet ante talos: nec etiam plus debito procedas, quia cuspis lanceæ acutæ ante te stat, a qua si plus justo processeris, vulneraberis. Quemadmodum etiam in VI lib., cap. XVII in Additione scriptum est, tentata fuit alio tempore Christi Sponsa de gastrimargia graviter in tantum, &c. Item cum similiter, vivente marito, lectum suum per quendam

carpentarium solemnius, & curiosius solito in domo sua in villa de Ulphon parari fecisset; tunc quasi ab una manu tam valenter in capite percussa fuit, quod vix movere se poterat præ dolore. Ducta ad aliam partem audivit quasi de pariete vocem dicentem sibi sic: Ego non stabam, sed pendebam in cruce; nec caput meum habuit reclinatorium, & tu tibi tantam curiositatem quæris, & quietem. His ergo auditis, amare commissam deflens culpam illico curata est, & postea, cum potuit, in straminibus potius & pelle ursina dormiebat, quam in lecto &c. Nota diligenter & fac similiter.

# LIBER II

## De acceptis gratiis & divinis charismatibus.

## PROOEMIUM:

[Birgittam Deus variis gratiis decoravit, hoc libro describendis.] Deus benedictus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Sanctos suos, ab æterno electos, multis in hoc mundo decorando miraculis insigniter consuevit demonstrare insignes, ut, quorum merita sibi soli cuncta cernenti videbantur, prodentibus signis, etiam hominibus, quales essent, innotesceret; quatenus, quorum mirabantur signorum excellentiam, sectarentur fidem, imitarentur propositum, virtutemque operum consequerentur: unde Deus in Sanctis suis non solum appareret mirabilis, verum etiam fieret laudabilis. Hinc est, quod * B. Birgittam ob amorem excessivum & singularem virtutum prærogativam Sponsam suam Christus vocare decrevisset, quam plurimis carismatum privilegiis sublimare eam voluit, ut ex manifestis donorum præconiis, latentium quoque virtutum insignia conjecturari debuissent, & antequam * per virtutem mentis soli Deo cognita erat, per gratiam ipsius Dei largientis etiam hominibus fieret manifesta. Ac vero, quia visionum revelationumque cælestium privilegio

mirabiliter decorata fuit, quo plerorumque arcana sæpe numero proderentur, divina Providentia egit, ut ipsius quoque excelsa præconia visionibus ac revelationibus panderentur. Nam, ut de aliis taceam, quæ vel ante vel post suum dignissimum ortum apparuerunt, quæque in recensita Legenda commemorantur, ad ea tantum me converto, quæ deinde contigerunt, quæ, quia cunctorum suorum præsagia sunt donorum, in hoc secundo libro, qui de acceptis gratiis prænotatur, primo loco tractantur.

## CAPUT I.
## De Visionibus & Revelationibus, quas pleræque piæ de ea habuerunt, & gratia ejus sanitatum.

Fuit itaque conversus quidam, [Variis, quanta futura esset] Gerbinus a nomine, in regno Suetiæ in monasterio Alvastri Cisterciensis Ordinis, qui in quadraginta annis monasterium suum numquam est egressus: sed diebus ac noctibus orationibus vacans, hanc promeruit gratiam, quod novem choros Angelorum in oratione quasi quotidie vidit, & in elevatione corporis Christi, Christum in specie pueruli crebro conspexit: hic frater, cum beata Birgitta venisset ad monasterium & resideret ibi, adjurans in corde suo dixit; Cur ista Domina sedet hic in monasterio monachorum, contra Regulam nostram inducens novam consuetudinem? Tunc raptus in quodam excessu mentis audivit vocem clare sibi dicentem: Noli admirari: hæc est amica Dei & ad hoc venit, ut sub monte isto flores colligat, de quibus multi etiam ultra mare & usque ad fines mundi recipiant medicinam. Rursum idem frater vidit eam elevatam de terra, & de ore ejus quasi flumen egrediens, & tunc audivit in spiritu: Hæc est Mulier, quæ a finibus terræ veniens propinabit gentibus sapientiam, & hoc erit tibi signum, quod ipsa de ore Dei dictura est tibi finem vitæ tuæ, & exultabis in verbis & adventu ejus & complebitur citius desiderium tuum, ne videas mala, quæ dicturus est Dominus super domum istam.

[78] Prior præfati monasterii confessor B. Birgittæ in confessione ab ea se audivisse asseruit, [S. Birgitta,] quod tamen & a domino Thoma, Vexionensi episcopo, & a domino Sigismundo, Strengenensi episcopo acceperat, quod scilicet monialis sanctæ vitæ in ipsa Strengensi diœcesi in monasterio Montis sancti, etiam Cisterciensis Ordinis in regno Suetiæ, Catharina nomine fuerat, quæ hanc a Deo gratiam obtinuerat, quod Virgo Maria, apparens ei, inter multa, quæ sibi loquebatur, hoc quoque dixit: Monstrabo tibi, inquit, me esse Matrem Dei, & præsentabo te Filio meo: hæc itaque domina, cum familiaritate cum B. Birgittæ loqueretur, inquit ad eam: Attende, o domina Birgitta, quia non ad jactantiam tuam, nec ad meam hoc dissero laudem, sed ad Dei tantum honorem respectum habens, audivi enim in oratione mea vocem mihi taliter dicentem: Scito, quod adhuc dicetur: Felix Birgitta, quæ etsi modo contemnitur in terris, honorabitur in cælis, &, qui sunt nascituri, prædicabunt nomen ejus. Ideo esto constans, quia sine dubio, sicut audivi, ita perficietur.

[79] In mense primo, quo B. Birgitta pervenit ad monasterium S. Mariæ de Alvastra, [revelatum fuit:] apparuit ei in oratione quædam Domina mortua, sibi notissima, dicens: Tibi dabitur intelligentia spiritualium: ideo humilia te in omnibus, & ut certius scias, quod hæc loquar, triplex tibi dabo signum: Primum, quod pro mea pertinacia conscientiæ graviter sum purgata. Secundum, quod vir meus, qui modo non est vir meus, quærit alteri contra Deum conjungi, quod tam sibi, quam posteris cadet in tribulationem. Tertium est, quod tu transibis mare & in loco glorioso, scilicet Romæ, morieris. Apparuit ei eadem secundo dicens: Ego indicare tibi volo de statu meo, quia sic placet Deo, ut quemadmodum dileximus nos invicem viventes in carne, ita modo diligamus in spiritu. Ego per similitudinem loquendo quasi in spisso vitro sum posita, valens quidem audire, sed nondum ad optata

venire. Sic ego intelligere & desiderare & sperare possum illa æterna & desideratissima gaudia, sed nondum perveni ad plenum, donec ad velle Dei vitrum sit gracilius & subtilius, & hoc est, quia duo me in mundo gravabant, videlicet viæ * facilitas, & quod de his, quæ habebam, minus contentabar, semper affectans habere plura. Quare inducas eos, qui amici mei erant, ut calices, quibus pretiosissimus ille Redemptoris nostri sanguis pro omnium redemptione & salute effusus est, sanctificentur, fieri faciant, & pro me Deo offerant. Secundo per annum ab his, qui Dei sunt amici, memoria mei fiat; hujusmodi quippe suffragiis haud dubium ab ista citius eripiar pœna. Rursum prælibatam Dominam in visione videns audivit ab ea; Quod concupivi jam habeo: tradita enim sunt oblivioni priora tormenta, & amor jam perfectus est. Tu vero esto obediens, quia in societatem magnorum ventura es.

[80] [alteri tamquam columnæ insistens,] Item quædam Domina de regno Suetiæ de civitate Scocolynensi, cum esset in peregrinatione prope S. Jacobum in Gallicia in quadam ecclesia vidit Crucifixum in pariete depictum, quem diligenter cum devotione atque compassione intuens, vocem sibi dicentem audivit; Ubicunque videris istam imaginem, ibi manebis, ibique morieris: igitur ad patriam rediens, domi aliquamdiu permansit; dein versus Romam iter accipiens, cum civitatem Montis Flasconis introisset, in domo cujusdam dominæ similem ei, quam in Hispania prius viderat, perspexit imaginem, quæ ad eam taliter loquebatur: Hic ingredieris & permanebis: ego vero istius domus dominæ animum inclinabo, ut tradat tibi in ea mansionem. Recepta igitur ibidem in reclusione permansit, multisque lacrymis, jejuniis & orationibus perseverans, vitam duxit exemplarem atque miraculosam; demum, ut ipsamet B. Birgittæ ac domino Petro, ejus confessori, narravit, vidit aliquando in somnis columnam, supra quam mediocris staturæ Domina consistebat, quam multæ turbæ circumstantes aspiciebant & mirabantur: de

ore autem ipsius quasi ros exibat, rosæque albæ & rubræ, quarum odore homines lætabantur. Expergefacta vero sequenti nocte vocem sibi dicentem audivit: Quam vidisti, est domina Birgitta, Romæ existens, domina tua, quæ afferet vinum de longinquis partibus cum rosis mixtum & dabit sitientibus peregrinis.

[81] [alteri tamquam coronis 7 ornata,] Ræchmundus, Prior de Ordine Prædicatorum, difficulter hanc gratiam Revelationum divinarum credens, vidit dormiens, ignem de cælo in beatam Birgittam descendentem: admirans itaque, atque de somno evigilans & illusionem putans, iterum obdormivit, viditque tunc, quod ignis ille de ore prædictæ Dominæ egrediens, multum circumstantes inflammabat; sed & vocem, Quis ignem istum, ut non egrediatur, prohibere poterit? resonantem audivit: Ego enim ipsa Potentia divina ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Austrum emittam illum. Post hoc autem Prior præfatus, confirmator & defensor indultæ gratiæ Christi Famulæ sanctorumque verborum confirmator * extitit & devotus. Schweningo monachus, qui abbas Warnensis Ordinis Cisterciensis postea fuit factus, ad S. Jacobum electam a Deo Peregrinam comitando, graviter in via infirmatus est, qui, ex se ad horam raptus, vidit æterni Regis Sponsam quasi septem coronis coronatam, viditque solem totum denigratum: qui miratus a quodam pulcherrimo, sibi assistente, hujuscemodi audivit verba: Ecce mirabile est, quod dico: sol iste magnus, qui est princeps istius regni Suetiæ, qui sicut sol fulserat, obscurabitur, & erit despectissimus, opprobriumque hominum. Sed mulier ista Birgitta habebit spiritum septiformis gratiæ Dei, quam significant septem coronæ, quas vidisti, & hoc erit tibi signum, quod tu sanaberis ab ista infirmitate, & reverteris ad tuos, ad altioremque gradum elevaberis. Qui postea rediens, factus est abbas, proficiens de virtute in virtutem, multa devotione convaluit.

[82] Fuit quidam frater Joannes de Pormaton, prout multorum testabatur opinio, [interdum ut in aëre] spiritualis utique multumque devotus: hic sub jurejurando testificatus est, quod, dum scilicet in ecclesia S. Joannis Lateranensis in Roma reverteretur, prope Coliseum o vidit ancillam Christi ad dictam ecclesiam, quamplurimis sociatam, commeantem in aëre, quasi cubitis duobus elevatam, & quasi navi super aquam firmo gressu aëra sulcantem: perterritus homo, timens, ne forsitan falleretur in visu, attente per aliquod spatium in eam defixis oculis, volitantem prorsus cum stupore intuebatur. Item secundo, dum Missarum solemnia in majori altari prænominatæ ecclesiæ celebrarentur, decantata Epistola, vidit eam, ut prius, e terra subactam, * in sublimi gradientem. Rursum tertio idem ipse de ecclesia S. Crucis properantem, & tunc faciem ejus, velut sole radiantem, a longe intuebatur; de quo non modica admiratione permotus, ne oculorum acies in hac fortassis visione oberraret, præstolabatur eam diligentius intuendo, semper tamen micantem faciem adeo, quod præ fulgoris magnitudine in eam intendere nequiret, conspiciebat. Cumque sanctissima Mulier, cunctisque admiranda paululum pertransiisset, conversus frater Joannes, & ad eam intuitum reflectens, velut solares radios post tergum ipsius procedere & versus cælum ascendere vidisse se, fatebatur.

[83] Denique frater Angelus de Hispania, presbyter & eremita de Monte Cervo testatur, [elevata visa fuit, absentique apparuit.] quod, cum esset Romæ in una camera cum fratre Andrea de Luca, beata Birgitta, quæ in eadem domo erat, per quendam suum nepotem vocari eum fecit: tunc ipse cum licentia fratris Andreæ ivit ad illam, & dum per scapham * descenderet; visum sibi fuerat, quod altioris solito staturæ existeret felix Vidua: nesciebat autem utrum in aëra suspensa esset, vel non. Videbatur quoque sibi, quod quasi splendor quidam de

ipsius facie refulgeret, quo ipsam minime cognoscere poterat, donec illa secum sermonem finierat: tunc vero fulgor evanuit, & in Consueta corporis statura Sponsa Christi apparuit. Cum adhuc viveret Famula Dei, dominus Abuensis episcopus in Francia & Anglia divina legatione fungebatur: cumque præfatorum reges regnorum ad Dei verba suscipienda, quæ eorundem regnorum guerram tangunt, quæque in IV libro Revelationum in aliquibus capitulis continentur, minus benevolos intueretur, turbatus in corde, non parvo mentis suæ mærore interea conficiebatur, cui obdormienti B. Birgitta apparuit, dicens: Cur turbaris? Redibis ad patriam prospere, & faciens fructum animarum. Sed scito, quod nondum finietur plaga eorum, ad quos missus es, quia indurata sunt corda eorum contra Deum, & turbabuntur adhuc, donec humilientur.

[84] [Cum adhuc viveret,] Quemadmodum Christus in mundo corporaliter degens, dum verbis doctrinæ animarum salutem ardentissime procurasset, ad sananda interdum corpora se mystice transferebat, ut per hoc, quod visibiliter operabatur exterius, animarum se medicum comprobaret interius: sic Sponsæ Christi accidit: etenim cum inimica, ut ita dixerim, verba, valetudinibus animarum salubriter medentia, charitate magna occidenti jam mundo per eam Christus edidisset; corpora nihilominus variis languoribus infecta pristinæ saluti voluit restituere per eandem, ut, dum ex facto miraculo & in corpore patrato dextera in ea pateret Excelsi, quia ipse erat, qui per illam loquebatur ad sanandas animas fidelium, ab omnibus posset credi. Itaque domina Catharina, uxor quondam domini Nicolai militis, adjurata fatebatur, quod ipsius filius parvulus, Carolus nomine, in tenera tunc ætate constitutus vehementer atque continue per annos duos morbum patiebatur epilecticum; ex quo ipsa anxia nimis ac tristis B. Birgittæ, tunc Romæ degenti, humiliter scribendo supplicavit, quod pro filio suo Dominum exorare

dignaretur. Cui illa scribendo respondit, quod de infirmitate filii turbari vel tristari amplius non deberet, pro certo sciens, quod ulterius illi nocitura non esset, & ita factum est: nam ipsa hora, qua Romæ litera pingebatur, sicut in veritate compertum est, sanabatur puer in patria.

[85] [geminam epilepsim,] Romæ vero sanctuaria peragrans pauperculam nomine Dyoretur, de regno Norwegiæ ante portas Ecclesiæ S. Praxedis solam seminecem jacentem reperit quadam vice; hanc intuens, miserata calamitatis ipsius, ad hospitale S. Antonii, quod non longe aberat, personaliter deferre tentavit; sed non prævalens sola, a domino Magno, capellano suo, juvari se annuit, sicque ad hospitale illam ambo pariter detulerunt. Postea vero domum suam eam venire faciens, agnito, quod morbo laboraret supradicto, oravit ad Dominum, traditoque sibi de proprio Pater noster pro tuitionis munusculo, confestim ab illa ægritudine liberata fuit; adeo quod nequaquam amplius, quousque vixit, eam invasit.

[86] [febrem hecticam,] In civitate Neapolitana puer, nomine Esau, filius domini Manets de Pedemonte, nepos Domini Nicolai de Acciolis de Florentia, quondam reginæ Siciliæ magni seneschalli, decem circiter habens annos, infirmus valde ex ectica valetudine, consumptus & desiccatus in corpore in tantum, quod a medicis omnimode desperabatur, per dominam Lapam, ipsius pueri matrem, S. Birgittæ præsentabatur: supplicabat enim obnixius mater pro filio Sponsæ Christi, quatenus suis meritis & intercessionibus infirmanti puero subveniret: cujus illa corpus hujusmodi contrectans, signaculum tandem S. Crucis super ipsius signavit ventrem; quo protinus infirmus convalescens perfectæ sanitati restitutus est.

[87] Item Romæ puer septem annorum, Genalus nomine, [ventris fluxum,] filius illustris viri domini Latini de Ursinis, qui cum uxore sua domina Soritia singulari devotione atque familiaritate recolendæ Viduæ jungebatur, fluxum ventris cum acutissimis continuis febribus incurrerat, quem per dies plurimos passus, a medicis derelictus, nequaquam evasurus putabatur. Audiens vero hoc pueri mater, commota sunt viscera ejus super filium suum, & mittens festinanter magna cum devotione Christi Famulam veneravit: dicebat enim intra se: Venerit tantum & tetigerit filium meum, salvus erit. Quid plura? Venit Mulier sancta domum, cameramque ingreditur, omnes ejicit, seque protinus in orationem ponit: demum ad puerum, lectulo decumbentem pergens mantelli sui fimbriam posuit super eum, faciemque suam pueri faciei conglutinans, parva mora super eundem incubuit: surgens vero dixit infantulo: Dormi, fili, dormi; & matre vocata, quam primitus cum omnibus egredi jusserat; non, inquit, moritur puer; sed dormit, & abiit. Puer autem a somno post paululum excitatus, pannis, quibus indui solitus erat, petitis & acceptis, sanus surrexit e lectulo, moxque domum egressus cum suis ludebat coætaneis.

[88] Dominus Robertus, olim canonicus S. Joannis majoris in Neapoli, [mentis] postmodum vero monachus Cistereiensis, ex indiscreta, ut putabatur, abstinentia demens effectus, precibus S. Mulieris fuit tandem perfecte curatus, de quo per Revelationem S. Birgittæ Christus loquebatur dicens: Unus homo ad excolendum agrum vel vineam conductus erat, in qua non paucis diebus exsudare eum oportebat: ipse vero aviditate pecuniæ totum volens lucrari una die propter nimium laborem infirmatus est: quo campus ille vel vinea pro majori parte linquebatur incultus; quare ipse amplius laborate non potuit, sicque perdidit salarium, & opus remansit imperfectum. Talis fuit iste Robertus, pro quo tu oras, qui & ab hac infirmitate liberabitur.

[89] Videtur hic continuandum, quod in Florentina civitate de quodam notario delirante constat esse factum: [deliriæ,] hic quippe in tantam devenerat insaniam, quod ferreis ligabatur catenis, ne furens quemquam invadere contigisset. Cumque lucida interdum intervalla haberet, dolebat amarissime, & de humano desperans auxilio litteras suas Sponsæ Christi, Romæ degenti, quibus apud Deum pro se intercedere precabatur, destinavit. Post hoc vidit in somnis gloriosissimum Joannem, quem præcipuo amore dilexit, cum quadam venerabili sibi assistente atque dicente: Hæc Mulier de longinquis est partibus, quæ pro te Romæ interpellat: gratias ergo age Deo, quia sanaberis cito, qui sursum scribens gestæ rei ordinem Interventrici suæ gratias agendo referebat.

[90] Præterea visitante se loca sancta in regno Siciliæ, [costas fractas,] cum de monte Gariano ad civitatem Manfridornam y descendisset, magister Thomas, episcopus Vexionensis, suarum comes peregrinationum, casu accidente, sic graviter de equo cecidit, quod duæ ipsius costæ frangerentur, qui, de mane accita ad se Christi Sponsa, ad S. Nicolaum de Barro profectura, O inquit, Domina! est mihi gravissimum sine vestra præsentia, mihi gratissima, hic remanere, & vobis non minus grave arbitror, hic nostri causa subsistere: rogo ergo vos per amatorem vestrum Jesum Christum, quod eidem pro me precibus piis fusis, sanctissima manu vestra meum latus in ipsius nomine attrectetis. Tunc pia Mater, obortis præ compassione lacrymis, inquit: O Domine; ego reputor, quod non sum digna; sum enim peccatrix & indigna coram Deo; veruntamen omnes pariter Deum rogemus, ut ipse vestræ fidei satisfaciat. Orans ergo & surgens latus episcopi tetigit dicens: Sanet te Dominus Jesus Christus. Vix verba finierat, cum tumor evanuit, dolor abscessit, sanusque surrexit, cæptum iter gaudens prosequendo.

[91] [lateris,] In Italia in castro Sermonete, quod est comitis Fundorum, Catharina de Flandria, Sponsæ Christi ancilla, gravibus febribus, & sinistri punctura lateris in tantum premebatur, quod de ejus vita modicum sperabatur: videns ergo domina Catharina, B. Birgittæ filia, non licere sic, infirmante derelicta, abire, eamque inibi pro multis, & magnis expensis, nonnullisque incommodis sinistrum valde præstolari, Matrem deprecata est, quatenus pro ancillæ sanitate Dominum exoraret; quod cum a domino Petro, confessore ejus, etiam præciperetur, extemplo ad patris jussionem in modum Crucis in terram prostrata, applicato ad terram ore, quantisper oravit: surgens autem ancillam vocavit ex nomine, quæ protinus sana prosiliens, omnibus admirantibus, equitavit cum cæteris.

[92] [capitisque dolores,] Dum dominus Latinus de Ursinis, quem paulo supra commemoravi, magnis quadam vice febribus æstuaret, B. Birgitta ad visitandum eum veniens, susurrando ad aurem ejus amicabiliter dixit: Confortare; quia non vult Deus, quod tu modo moriaris. Dum quodam tempore generosa vidua Resgotiam iret, dominus Magnus, capellanus, qui se comitabatur, prope Lodosam ee cum venisset, in capite graviter infirmari cœpit in tantum, quod nullo modo poterat equitare; mane autem facto, cum cœptum iter Mater sancta prosequi decrevisset, eo quod propter defectum victualium, & locum minus tutum anxiaretur de mora; sacerdos hoc audiens, vocari ad se illam fecit, & dixit: Ne, quæso, Domina, hic inter bestias me desolatum derelinquas: rogo ergo manum vestram capiti meo superimponite, & spero, me vestris orationibus fore sanandum. Confessore ejus itaque annuente, caput tetigit confessoris * dicens: O mi benignissime Jesu, sana eum, ad quod verbum surrexit infirmus, & robustior quam unquam prius fuerat, effectus, equum ascendebat.

[93] [etiam in Petro Alvastrensi,] Eo etiam tempore, quo Sponsa Christi adhuc in monasterio Alvastro residebat, in ipso primordio Christus apparuit sibi dicens. Dic ex parte mea fratri Petro suppriori, quod ego similis sum Domino, cujus Filii in duro cippo captivi tenebantur, qui misit legatos suos, ut filii sui liberarentur & præcaverent, ne in manus inimicorum suorum inciderent, quos putabant amicos: sic ego Deus multos habeo filios inter Christianos, qui gravissimis diaboli laqueis captivantur, ideo ex charitate mitto eis verba mea, quæ per unam fœminam loquor. Audi ergo tu, frater Petre, illam, & scribe in lingua Latina omnia verba, quæ ipsa tibi ex parte mea dicet, & dabo tibi pro qualibet littera non aurum, vel argentum, sed thesaurum, qui non veterascet. His auditis, frater Petrus inducias ad deliberandum cœpit: onus tandem rejicere ex humilitate disponebat, partim se ad tantum opus indignum æstimans, partim vero de illusione diaboli aliqualiter titubans. Cum ergo hæc secum agerentur, divinitus in ecclesia quodam sero percussus, statim cecidit quasi mortuus: omnium namque spirituum atque corporalium virium actu sublato, intellectum tantum sanum habebat. Monachi itaque sic in terra prostratum reperientes ad cellam deferendo super stratum suum eundem declinaverunt, ubi per magnum noctis spatium semivivus jacebat.

[94] Denique dispensatione divina talis se menti suæ cogitatio intulit: [revelationum suarum scriptore, sanavit.] Fortassis, inquit, hoc patior, quia divinæ jussioni parere formidavi, & ait: O Domine Deus! Si hæc est causa, parce mihi, quia ecce paratus sum obedire tibi. Consensu itaque facto in corde, sine ulla mora curatus est, & vadens ad dominam Birgittam paratum se ad omnia offerebat: qui & sacrarum revelationum scriptor & B. Birgittæ venerandus confessor (sicut in principio hujus libri dictum est) effici merebatur. Item loquitur Christus eidem de eodem: Ego percussi eum; quia nolebat obedire, & postea sanavi eum;

quia ego sum medicus ille, qui sanavi Tobiam & regem Israël: Dic ergo illi: Aggredere, & volve & revolve opus scripturarum verborum meorum, & scribe, quia dabo magistrum Mathiam, magistrum in lege mea, quæ tu scribes ab ore istius Mulieris, unde potentes humiliabuntur, & sapientes obmutescent: scias pro certissimo, quod tale opus facere volo per verba mea; nec credas a maligno spiritu hæc verba procedere, quæ Mulier ista tibi locuta est; quia ea, quæ dico, operibus comprobabo. Rursus cum hic idem vehementem capitis dolorem a sua pueritia pateretur, orante pro se Famula Dei, omnimodam recepit sanitatem. Orans enim illa audivit, Vade, dic fratri Petro, quia a dolore capitis liberatus est. Scribat ergo audacter libros verborum meorum tibi revelatorum, quia ipse habebit adjutores.

## CAPUT II.
## De oppressis a Dæmone per eam liberatis; de sulphuris, quem in offensa Dei sentiebat, odore, & dono revelationum, sibi factarum.

[101] Meretrix quædam per B. Birgittam ad Deum conversa sequebatur magistrum, [liberavit.] quæ in tantum a maligno spiritu quandoque tentabatur, quod vicibus iteratis de lecto illam detrahens, oculos quoque ipsius visibiliter comprimebat. Sane mulier de hoc impatiens, mortem quoque ex hoc contingere sibi pertimescens, ad vomitum peccati revertens cogitabat, dicens: Melius est mihi temporaliter vivere, quam violentam mortem incurrere: B. autem Birgitta per Spiritum sanctum hæc sciens, in præsentia sui confessoris, nonnullorumque aliorum contra diabolum, qui illam puniebat, dixit: Recede, o maledicte diabole, quia satis illam mulierem contrivisti. Tunc mulier quasi obmutescens per aliquod temporis spatium in terram defixit obtutus, & postea se erigens dixit ad Sponsam: Benedicta tu Domina, vere etenim diabolum egredientem

in vilissima forma videbam; & ex illa hora a dæmone liberata nec cogitationes sordidas ex tunc patiebatur, nec impatientia frangebatur.

[102] Experimento didicimus, quod fœtore aliquo infectus fœtentem alium de facili non attendit: [Non raro admissam Dei offensam] si quis vero mundus fuerit, malum odorem in altero quam cito deprehendit; sic B. Birgittæ contingebat, quæ, cum ab omni vitiorum labe, in quantum fas est dicere, perfecte munda esset; si quando dolosa verba aliqua vel criminosa audisset, vel si quis in mortali peccato existens, stetisset coram ea, tantum sulphuris fœtorem confestim hauriebat, quod vix poterat tolerare: unde, cum esset in Famagusta e, frater Simon de Ordine Prædicatorum, Antiochiæ principis, patrui regis Cypri confessor & magnus theologus & astrologus, multa sciens, & se ipsum nesciens, ad Famulam Dei venit, & sub ovina specie vulpinam tenens astutiam de gratia istarum revelationum divinarum sagaciter cum ea loquens scrutabatur veritatem: cumque ambo pariter confabularentur, tanto Mater sancta quasi fœtore sulphuris replebatur, quod bene poterant omnes, qui aderant, non modicum ipsam ex gestu fatigatam, advertere. Unde & vale sibi illo faciente, e vestigio ad nares manus applicuit, fœtoris vehementiam declinando.

[103] Simili modo Romæ sibi contingebat, cum ad uxorem domini Jordani de Marino visitationis causa perrexisset; [sive ab aliis, sive a se ex odoratu] nam tantum in gestu illius & moribus fœtorem hausit, quod non modicum in tolerando cruciabatur; quam ob rem dominus Magnus & domina Catharina admirantes, quid esset in ea, a domino Petro confessore sciscitabantur; a quo de veritate clarificati siluerunt. In LXXXVII cap. libri VI Revelationum legimus, quod quadam die, cum Sponsa Christi cuidam episcopo & aliis nobilibus consedisset, sensit tunc &c: Vide ibidem. Cæterum si interdum verbum ab aliquo, Deo

exosum, ipsa retulisset, non parvam in gutture & lingua amaritudinem repente sentiens, offendisse se Deum, certius advertebat, & recolens verbum illud, mora sublata, cum ingenti dolore & lacrymarum effusione confitendo emendabat. Rediens nempe de partibus Orientis per dies aliquot apud reginam Siciliæ in civitate Aversa morabatur: ubi Antonius de Carbeto, campsor, civis Neapolitanus, notus reginæ ac multum familiaris ad honores anhelans & divitias, rogavit eam, qualiter reginæ suggereret, quatenus de officio quodam de aduana, tunc vacante, benigne sibi consentiret.

[104] [gustuvæ cognovit.] Annuit Sponsa Christi improvide, nulla habita deliberatione, nulla oratione præmissa, nullaque patris spiritualis facta requisitione; sed extemplo amarissimum sulphuris saporem in ore & in gutture sentiebat; de quo stupens orare cœpit, ut puta, quæ, ne Deum offendisset, licet in quo, nesciret, contremiscens titubare cœpit. Cui Christus visus oppositum ei, quod Antonio spoponderat, imperavit, quod scilicet reginæ persuaderet, quatenus de illo officio Antonio non provideret: ipsi quoque Antonio diceret, ne illius officii beneficium requireret: alioquin si ad votum in non modicum animæ suæ detrimentum, ac temporalium cederet bonorum. Denique B. Birgitta de loco recessit, & Antonius, quod concupivit, post annos circiter sex consecutus, recepto post modicum per commissarium reginæ computo de officii ministratione in magna, pecuniæ quantitate debitor est inventus, ex quo omnibus, quæ habebat in sua potestate, distractis, veluti mendicus & vagus effectus est.

[105] [Claruit etiam] Inter cetera Spiritus sancti charismata, Sponsæ Christi pro ornatu atque decore a Sponso indulta, excellentissimo videndi, audiendique spirituali dono ditata fuit: nam tot & tanta secreta cœlestia, & occulta mysteria, a mundi sapientibus

abscondita, fideli Famulæ suæ Rex cælestis revelare dignatus est, ut humanæ fidei temeritas vix queat admittere, cum nunc in propria Deus Pater persona, nunc per suum Unigenitum, nunc per Unigeniti dignissimam Genitricem, interdum vero per Angelos aut Sanctos eidem apparendo vel loquendo infinitas, ut sic dixerim, revelationes ministrabant sibi, de quibus nimirum revelationibus VII libri cælestes, & octavus, qui dicitur ad Reges, Sermone angelico, cum multis extravagantibus Revelationibus demptis, compilati sunt.

[106] [Revelationum dono,] In quibus etiam Revelationibus sacræ nonnumquam exponuntur Scripturæ, solvuntur quæstiones, dubia enodantur, manifestantur abscondita, & futura multa prænuntiantur & quemadmodum primo libro tactum est, tam summi Pontifices, cum cæteris ecclesiæ prælatis, ac religiosis & clericis, quam etiam reges cum principibus & magnatibus, militibus, virgines & viduæ cum conjugatis singulariter vel specialiter, cum comitatibus, & regnis docentur & informantur, increpantur & obsecrantur, de instantibus quoque periculis & Dei judiciis salubriter terrentur, ita ut pene dignitas, aut gradus, status vel ecclesiasticus, aut sæcularis non sit, qui vel quæ specialem & sibi competentem revelationem, revelationesque non accipiat: cum & hæretici, Judæi quoque, & pagani ab hoc munere non sint immunes. Sed & animæ in purgatorio existentes acerbissimasque inferni pœnas luentes suffragiorum beneficia eisdem revelationibus consequuntur.

[107] [quarum nonnulla] Quis enim non miretur? Quis Dominum in Sanctis suis non veneretur, qui sciat magna mirabilia solus? Quis, inquam, Dei, & hominum Mediatricem hanc & legis divinæ latricem summis non extollat laudibus, & ex præcordiis digna non resonet præconia, debitorem se sibi pro incremento salutis

humiliter confitendo, & misericordiam hanc magnam senescenti mundo per eam exhibitam affectuose amplectendo? Nam, ut cum pace omnium (qui alterius non invident; sed congaudent sanctitati, imo Dei bonitati) id dixerim, a sæculo non est auditum, quod cujuspiam alterius oculos atque aures Deus sic aperuerit, sicut humillimæ Ancillæ suæ fuit enim singulariter a Sponso suo hac prærogativa dotata; cui in secundo libro Revelationum cap. XVIII ab eodem sic dicitur: Tria mirabilia feci tecum &c: Vide ibi. Item in sexto libro cap. LII dicitur: Ego, inquit Christus, facio sicut Rex &c: Vide ibidem. Si autem miraris, quod loquor; quare tanta gratia huic mulieri fuit indulta, audi quid miranti sibi in cap. XV, 2 libri Christus responderit. Miraris, inquit Christus ad Sponsam, quare talia loquor & tanta concedo tibi &c: Vide ibi. Si vero muscitas, cur de humiliori, sanctiorive statu personam ad tantum opus non elegerit; respondet tibi Christus in eodem libro 2 cap. XVI ubi dicit: Mirantur multi, cur loquor tecum, & non cum aliis &c: Vide ibidem.

[108] Cæterum si hæsitas, an a bono Spiritu, an a malo sint habita; [laudantur ex revelationum libris.] docet te Christus, qui hæsitantem Sponsam in primo libro cap. IV increpando sic dicit: Quare timuisti de verbis meis &c. Vide ibi. Item in IV lib. cap. XIV inquit Christus Sponsæ Cur times & sollicitaris ex eo, quod diabolus &c. Vide ibidem. Scribens præterea S. Mater vicario domini Papæ Romæ degenti, prout LXXVII * libri IV poteris reperire, taliter est exorsa: Vestræ honorandæ Paternitati &c: Demum eadem verba in quamplurimis etiam aliis revelationibus invenies, si placet, quo Spiritum veritatis a spiritu secernas falsitatis. Denique si illud te movet, quod non ita cito, non ita fideliter divina hæc oracula a cunctis recipiuntur; aut certe, quia plura in eis prophetice dicta diutius differuntur; quamquam plura meo judicio constet jam esse completa; quid ipse, qui omnia moderatur, & novit, hac in re loquitur, ausculta. In libro siquidem primo

cap. LII. Virgo virginum Filium suum alloquitur dicens: Benedictus sis tu, Fili mi, & Deus meus &c. Et rursum flos florum Virgo Maria in secundo libro cap. XIX, circa finem loquitur ad Filium dicens: Benedictus sis tu, Fili mi, qui es, & qui eras. Similiter nec illud prætereundum est, quod in VI libro cap. c scribitur: Timebat namque, ut ibidem dicitur, Sponsa, ne forte verba divinitus ei revelata infirmarentur & calumniarentur ab omnibus &c. Vide ibi. Plures etiam alias revelationes invenies ad hanc materiam pertinentes.

## CAPUT III.
## De spiritu Prophetiæ.

[Multa prædixit;] Si cuncta, quæ prophetico spiritu Prophetissa nostra magna vidit, dixit, scripsit, in hoc complecti vellem capite, & debitum scribendi modum excederem, & lectori fastidium, mihique laborem non modicum haud dubium præpararem, cum tanta de præteritis atque præsentibus occultis, nunc de futuris vaticinando reseravit, antra quoque cordium, quorum Deus scrutator est, nonnunquam detegendo. Quanta si essent in unum glomerata, unum per se non parvum efficerent volumen; etenim ut de cæteris, quæ ad reges, ad regna, civitates & loca, privatasque personas pertinent, taceam; de ipso quoque militantis ecclesiæ statu, utpote de schismate, quod paulo ante ipsius Sanctæ obitum sub Urbano V ortum est, atque de sanctæ Ecclesiæ omnimoda reformatione multa prædixit; quemadmodum in multis capitulis librorum cælestium legentibus apparebit. Unde Bonifacius Papa, cum pleraque ipsius merita vitæ in suis retulisset Epistolis, adjunxit: Quibus quidem sanctis absque intermissione continuatis operibus hæc generosa vidua per gratiam Sancti Spiritus promeruit, multis eorum cogitationes & affectiones intimas & gesta secretissima propalare, ac visiones & revelationes varias videre & audire, ac spiritu

prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc & alia in ejus Revelationum volumine plenissime describuntur.

[110] [de statu Urbis scilicet,] Sed quoniam ab initio istius Operis intentio mihi fuit fragmenta colligere, ne perirent, paucis admodum ex his, quæ in VII libris continentur, præmissis prophetiis, ad eas, quas in Attestationibus reperi, festinando *. In quarto ergo libro cap. V Petrus Apostolus, quædam B. Birgittæ de statu Urbis præterito insinuans ac de futuro nonnulla præsignans adventum quoque summi Pontificis ad eandem Urbem, qui tunc temporis in Avenione, Galliarum urbe, residebat, & per annos plurimos cum sua curia inibi moram traxerat, prædicens, inquit, Insuper dico tibi, quod civitas ista Roma, civitas erat pugilum, ejus plateæ stratæ auro & argento, nunc autem lapides ejus saphyrei versi sunt in lutum. Habitatores ejus paucissimi, quorum dexter oculus erutus est, dextera manus abscissa, bufonesque & viperæ habitant cum eis, præ quorum veneno animalia mitia non audent apparere; nec pisces mei elevare caput, ideo adhuc in eam congregabuntur pisces, & si non ita multi, ut olim, erunt tamen æque dulces & audaces; in tantum quod ex eorum collusione descendent bufones & ranæ & serpentes mutabuntur in agnos & leones erunt ut columbæ ad fenestras suas. Item addit: Dico tibi amplius, quod in diebus audietur: Vivat vicarius Petri, & videbis eum oculis tuis, fodiam enim montem delitiarum &c: descendent sedentes in eo: quia autem benevole noluerunt descendere, venient compulsi contra spem omnium, quia exaltari vult Deus cum misericordia & veritate &c. Hæc ibi.

[111] Sicque factum est: nam dominus Urbanus Papa V de Avenione cum sua curia Romam veniens in ea residere cœpit, [de Urbani V,] quo necdum civitatem ingresso in S. Maria majori Sponsæ Christi oratione vacanti revelatio

illa facta est, quæ incipit: Uni personæ videbatur, quasi quod esset in magno choro &c: Quære in IV libro cap. XLIX. Denique annis quindecim antequam iste Pontifex Romanus veniret, de ipsius adventu ipsa certificata fuerat, & prædixerat, quemadmodum Domino Cardinali de S. Petro, qui ecclesiæ S. Petri Romæ tunc canonicus erat, & quam pluribus aliis personis innotuerat. Præterea commoranti adhuc Famulæ Dei in monasterio Alvastræ in Suetia Christus mandaverat dicens: Vade Romam, ubi plateæ stratæ sunt auro & rubricatæ Sanctorum sanguine, ubi compendium & brevior via est ad cælum propter indulgentias, quas summi Pontifices & cæteri Sancti Dei glorioso sanguine suo & precibus promeruerunt: stabis autem ibi donec Papam & Imperatorem ibidem videbis, quibus & mea verba annunciabis.

[112] Quam ob rem deridebatur a multis, nequaquam verisimile esse, [Cæsaris Caroli Bohemi,] Pastorem ecclesiæ imperatoremque tunc temporis insimul tunc Romam venire, asseverantibus: sed & præsentem se fuisse, domina Catharina, sanctissimæ Matris filia, testatur, quæ parens sua illo in tempore, quo Imperator Carolus Romæ erat, summo Pontifici Urbano V in palatio Apostolico reverenter exhibuit, atque supradicta omnia humiliter enarravit: aderat autem tunc præfatus Cardinalis S. Petri episcopus Avenionensis & dominus Reynaldus de Ursinis attestantes, quod ante plures annos amborum, scilicet Papæ & imperatoris, una prænuntiavit adventum. Quam ob causam mitiori devotione & reverentia ad eandem afficiebantur; sed, cum, antiquo serpente suadente, Avenionem præfatus Pontifex regredi proposuisset, alia tunc de eo facta est revelatio, quam devota Christi Famula in Monte Flascone eidem præsentavit, quæ quidem revelatio in ea parte, qua prophetica est, hic recitanda est. In fine quippe illius Revelationis Mater Dei sic inquit: Modo volo aliquid loqui

super isto Papa, qui nominatur Urbanus, propter pacem meam &c: Vide ulterius.

[113] Urbano autem V vita functo, Gregorio ejus successori quatuor revelationibus valde comminatoriis jussum fuit, [& Gregorii XI in illam adventu,] quatenus ad Urbem cum sua curia properaret. Quartam autem, quia de ea mittenda præceptum non acceperat, Sponsa retentavit; quam velut propheticam, quia eundem pontificem ad Urbem omnimode venturum præscivit, censui hic esse scribendam. Oranti quippe B. Birgittæ pro Pontifice supradicto in festo S. Polycarpi in Neapoli civitate, cum de sacro Jesu Christi repedaret Sepulchro, ipse Jesus visus dixit: Attende, Filia, ad verba, quæ loquor: scias enim, quod iste Papa Gregorius similis est paralitico &c. Vide. Hinc est, quod in eadem civitate Neapolitana consistens Roberto, Nolani comitis primogenito, sæpius ad se venienti, semel dixit: Roberte, scias & firmiter teneas, quod dominus Gregorius Papa, qui iterum Avenione degit, Romam venturus est, & oculus tuus conspiciet illum. Transactis vero circiter quinque annis, Papa venit, &, dum de monasterio sancti Pauli equitaret (verborum S. Birgittæ non immemor) ut ingrederetur Urbem, dominus Robertus ad eum dextrandum deputatus, verborum S. Birgittæ non immemor, ad Præsulem se convertens, inquit: Nunc vere cognosco, quod sancta illa mulier Birgitta verum mihi vaticinium dixerat; etenim non tantum, o Pater beatissime, juxta verbum suum vos in Urbe video, quin imo personaliter sanctitatem vestram reduco.

[114] [de secuto schismate,] Animadverto vero, quam luculenter schisma, quod successoris istius tempore in Ecclesia ortum est, præsignaverat, videamus: scribit enim vicario domini Papæ, ut in cap. LXXVIII, libri quarti continetur, in hæc verba: Vestræ venerandæ Paternitati ego Vidua quædam &c. Vide ibidem. Item alibi Sponsus

ait ad Sponsam: Scito, inquit, quod tanta tonitrua & fulgura venient in Ecclesiam meam, multis videntibus, qui nunc vivunt, quod multi optabunt mortem, & mors fugiet ab eis. Item nuntius Papæ quibusdam præmissis adjecit: Est etiam utilissimum, habere & petere patientiam, quia in diebus multorum, qui nunc vivunt, sol dimidiabitur, stellæ confundentur, sapientia infatuabitur, humiles in terra ingemiscent, audaces prævalebunt; & subdit: Hoc sapientum est intelligere & interpretari, qui aspera sciunt deplanare, & futura providere.

[115] [pace & augmento Ecclesiæ:] De melioratione vero status Ecclesiæ nec non paganorum ad fidem vocatione multæ & satis prolixæ revelationes habentur; sed compendii causa duæ tantum brevissimæ hic describuntur. Ait enim Mulier sancta in VI libro, cap. LXXIV: Vidi in Roma a palatio Papæ prope sanctum Petrum usque ad castrum S. Angeli & a castro usque ad domum S. Spiritus, & usque ad ecclesiam S. Petri, quasi quod esset una planities, & ipsam planitiem circuibat fortissimus murus, diversaque habitacula erant circa ipsum murum; tunc audivi vocem dicentem: Papa ille, qui Sponsam suam ea dilectione diligit, qua ego & amici mei dileximus eam, possidebit hunc locum cum assessoribus suis, ut liberius & quietius advocare possit consiliarios suos. Item in eodem libro cap. LXXXIII, Scias, inquit Christus, quod adhuc tanta erit devotio in paganis, quod Christiani erunt quasi eorum servi, & complebuntur Scripturæ, quod populus non intelligens glorificabit me, & ædificabuntur deserta, & cantabunt omnes: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, & honor omnibus Sanctis ejus &c.

[116] [Cypriis, ni peccata corrigerent,] Nobilis vir dominus Carolus Marosello, civis Januensis, coram testibus retulit, & juramento firmavit, quod, dum de anno MCCCLXXI esset Famagustæ in insula Cypri, B. Birgitta cum suis comitibus ad S. Jerusalem loca vadens, inde pertransiit, & in

Nicosiam, se sequente, pervenit, ubi Sponsa Christi & regina cum principe, qui tunc regebat, cum aliis baronibus ibidem existentibus convocatis, exposita adventus sui causa, videlicet quemadmodum ad S. Sepulchrum iens, illuc applicuisset, monuit omnes ex parte Dei, quod de quibusdam abominabilibus & horrendis peccatis, quæ in regno illo diu viguerant, & adhuc vigebant, se abstinerent: adjiciens, quod, ni condignam emendam facerent, divina ultio super ipsos & regnum quantocius desæviret; dixitque, quod, si vellent, humilibus precibus pro eis & pro eorum correctione Deum exoraret. His auditis, quidam assistentes triumphabant, humilem Christi Famulam deridentes: nonnulli vero, quibus sanior sensus erat, reverenter eam pro se orare precabantur.

[117] Eodem vero anno de mense Augusti, ut sibi videbatur, [imminentem] rediens de S. Sepulchro Ancilla Christi reginam, & omnes principes & barones regni iterato convocari fecit, eisque, ipso teste præsente, narravit, qualiter in monte Calvariæ, dum esset ad Sepulchrum Domini, pro regno Cypri deprecans, Christus dixit: Ut quid, Filia, pro regnicolis illis tantum oras? Scias, te in vanum laborare; nam emendam quidem promittent, sed non facient. Quare dicas eis ex parte mea, quod, nisi vias suas pessimas correxerint, de eorum sceleribus vindictam quantocius sumam; & inter cæteros eorum excessus necem quoque serenissimi principis domini Petri, olim regis Cypri, quem necaverant, eis improperavit. Adhuc quidam eorum, qui convenerant, debacchantes ridebant, præsertim frater Simon Ordinis Prædicatorum; qui amentem illam acclamando trufabat * asserens, non minimam fatuitatem esse, fidem talibus adhibere. Hic est frater Simon ille principis patrui regis confessor, ad cujus præsentiam Mulier sancta fætorem tantum sentiebat.

[118] Deinde anno, quo supra, decima die mensis Octobris, [Dei ultionem,] cum adhuc venerabilis Domina illic moram traheret, in coronatione præfati regis gravis dissensio inter Cypros & Januenses orta est adeo, quod non parva Januensium multitudo trucidaretur. Quidam vero letaliter sunt vulnerati; inter quos dominus Petrus Marosillo, ipsius testis consors, cum una dagha * quatuor percussus ictibus, pene spiritum exhalavit. Huic de sua sanitate, medicis desperantibus, diffidenti in spiritu prophetiæ Mater sancta dominum destinavit Alphonsum dicens: Ne dubites, Petre, quia de his vulneribus nequaquam morieris, sed aderit tibi gratia Christi: qui sanatus gratias sibi referens infinitas; qui paulatim convalescens perfecte incolumitati restitutus est. Misit præterea Sponsa Christi dominum Alphonsum ad reginam, regnique magnates dicens eis ex parte Dei: Jamjam incipiunt divinæ ultiones, & gladius Dei acutissimus contra vos jam incipit exeri, cujus rei causa seditio ista facta est. Nam, quemadmodum testis ipse vidisse se, perhibebat, parvo decurso tempore, Januenses in manu forti & brachio extento Famagustam obsidentes debellaverunt, ceperuntque regem & quamplurimos.

[119] De regno vero alii captivati sunt, alii sauciati, [quam a Christo] nonnulli etiam in occisione gladii mortui: sed &, quod dictu nefas est, proprias uxores plerique eorum pro vitæ alimoniis etiam meretricum stipendiariis tradiderunt. Vidit insuper testis iste aliquos de regno nobiles, & potentes Januæ postmodum eleëmosynam postulando mendicare; quibus ipse quoque manum porrexit adjutricem. Vidit denique dominum principem in regem coronatum carceribus mancipari, & per aliquem de Januensibus in camera, & in loco, ubi prælibati quondam domini Petri regis adhuc sanguis recens apparebat, gladio trucidari; & multa alia circa eandem materiam vidisse se fatebatur; quibus Prophetissæ nostræ vaticinium procul dubio verificabatur. Prophetiam itaque

de regno Cypri cum consiliis & increpationibus ac comminationibus ad eos factis in VI & VII Revelationum libris in pluribus capitulis invenies. De Famagusta Christus loquitur: Hæc civitas est Gomorra ardens igne luxuriæ & superfluitatis, & ambitionis, ideo ruent structuræ ejus & desolabitur & imminuetur, & habitatores ejus migrabunt, & præ dolore & tribulatione ingemiscent, & deficient, & nominabitur confusio ejus in multis terris, quia iratus sum eis.

[120] [didicerat;] De duce vero, qui conscius fuit mortis fratris sui, loquitur Christus: Hic audacter dilatat superbiam suam, gloriatur & de incontinentia sua, nec attendit, quid fecerit in proximum suum: ideo, nisi se humiliaverit, faciam juxta commune proverbium: Non levius plorat, qui post, quam qui plorat ante: quia non leviorem mortem habebit, quam frater; imo amariorem, nisi cito se emendet. Rursum de confessore ducis Christus inquit ad Sponsam: Quid tibi dixit frater ille? Nonne, quia dux bonus est, & melius vivere non potest, excusans incontinentiam ejus? Tales non sunt confessores, sed deceptores; quia vadunt tanquam simplices, sed verius sunt vulpes & adulatores. Tales sunt amici illi, qui vident & proponunt hominibus assumptiones & detentiones propter modicum temporale. Ideo si stetisset iste frater in conventu, minimum obtinuisset supplicium, & majorem coronam; nunc autem non effugiet manum increpantis & tribulantis.

[121] [uti & privatorum sæpe obitum,] Maria, uxor Alphonsi Hispani, habitans Neapolim, dum ad sancta Hierosolymitana loca cum S. Fœmina properaret, pro quadam sua filia ipsam de consilio requisivit. Cui dixit, quod in monasterio S. Crucis vel S. Claræ Neapoli illam offerret. Rediens itaque domum, quod a S. Vidua rursum acceperat, complici suo ac natæ disseruit: resistentibus autem illis & contradicentibus, tandem B. Birgittæ

dissensum eorum eadem mulier reportavit. Tunc sancta Deo plena; Tu, inquit, filiam tuam nunquam videbis nuptam, & sic factum est. Nam post paucos dies ab hujus mundi illecebris erepta est. Item, cum se ad dicta loca sancta visitanda Romæ præparaverat, confessoribus suis, quasi ex ore Dei prædixit, quod uno duntaxat, qui sibi charissimus erat, excepto fratre, atque * redire omnes deberent incolumes, sicut factum est: nam dominus Carolus, filius ejus, sibique magis dilectus, ut in primo libro hujus cap. VI * dictum est, Neapoli in accessu Romæ mortuus est. Exeunti Sponsæ Christi & oranti, quadam vice revelatum fuit, quod magister Matthias de regno Suetiæ, primo confessor ipsius, in patria sua illo tunc die carne solutus migravit ad Christum: audierat siquidem vocem sic dicentem: O felix tu magister Mathia pro corona, quam * tibi in cælis est fabricata: veni ergo ad sapientiam, quæ nunquam finietur; & probata est hujus rei veritas ex eo, quod Prior de Alvastro, qui morti illius interfuerat, diem & horam obitus annotavit. Similiter & dominus Petrus cum ea Romæ existens revelationis diem scripto mandavit. Veniente itaque Priore de Suetia, & decessum illius referente, collatione ad invicem facta, eundem diem ambos designasse, repererunt.

[122] Obitus quoque consodalis filiæ suæ dominæ Catharinæ, [prædixit:] qui regis Suetiæ consanguineus erat, Romæ sibi revelabatur: in sancto enim Parasceves die filiam advocans, secum tunc Romæ degentem, inquit: Noveris, filia, quod maritus tuus in partibus * de hac miserabili vita sublatus est. Elige ergo tibi de duobus alterum, aut per matrimonium iterum mortali homini conjungi, aut per viduitatis sanctæ propositum Christo spiritualiter copulari. Præceptum quidem in spiritu sibi fuerat, quod eam tentare deberet, quia juvenis erat, speciosa nimis, dives, nobilis, & potens in regno suo: optione ergo sibi data, maluit in sancta castitate una cum matre Deo famulari, quam illecebris carnis inquinari. Dum

itaque Romæ pariter spiritu ferventes, Domino servientes, ambæ permanerent, ante castrum S. Angeli ad S. Petrum euntes, transitum simul, & sæpe faciebant. Quadam igitur die plerique Romani juvenes de castro descendentes sequebantur eas, miram faciei illius dominæ, scilicet Catharinæ, venustatem contemplantes, verba quoque juvenilia, ut moris est insolentium juvenum, ructuantes: tunc inquit filia: Quid, Mater, faciemus? me enim insequuntur: ego quippe nollem quoquo modo verecundiam aliquam perpeti. Cui illa: Ne dubites, filia, quia nullam molestiam patieris, &, fusis ad Deum precibus, audivit hujusmodi verba: De longinquo venient, qui huic castro dominabuntur, & de existentibus nunc in eo nullus in eodem habitabit, quod & accidit: nam Britones illud postmodum possederunt, & exinde a Romanis vastatum est.

[123] Quidam filius Belial, quendam puerulum Judæum furatus, [non raro etiam,] ad sanctuaria Romæ lucri causa infirmum deportavit; hos cum Famula secus Lateranensem ecclesiam reperisset mendicantes, facti illius conscia, utpote a Spiritu Sancto edocta, exhorruit facinus, & hominem illum acriter increpans dixit: Quomodo tu Judæum istum retines? Hic procul dubio Judæus est, furtimque illum sustulisti. Tunc ille stupore, pavoreque confectus, fugam cœpit arripere: sed ab his, qui ad spectaculum concurrerant detentus, veritatem omnibus audientibus fatebatur. Sacerdos quidam, ab incantatrice de carnis incontinentia fascinatus, rogavit dominam Birgittam pro se orare, quæ rapta in spiritu audivit: Miraris, filia, quare diabolus dominatur in homine; hoc facit inconstantia voluntatis hominum. Lib. VI cap. III in Additionibus. Item in eodem VI libro cap. LXXVI ait Christus: Scito, quod inhabitator hujus duplici vitio laboret &c. Ibidem.

[124] Quodam mane dominus Aquinus, Suecorum regis junior frater, [quæ occulta prorsus erant.] dux valde mundo deditus, extra castrum Baghoven Sponsæ Christi obviavit, & dixit: Eritne pluvia vel serenum? An filii tui reges erunt, & nos privabimur? Cui illa: Si non melius, inquit, correxeritis vitam vestram, nec mater lætabitur in vobis, nec non * longa erit memoria vestra: ideo humiliamini sub potenti manu Dei, ut propitietur ipse peccatis vestris, quia multa sunt: hic ex verbis dominæ Birgittæ mitior factus, non diu vivens, decessit sine generatione, sicut audierat. Cum ex divina jussione Mulier sancta Abrahæ exemplo, relicta terra propria, Romam venire decrevisset, nobilis quædam domina, Embergis nomine, uxor domini Nicolai de Anes, illam sequi disponebat: cui maritus, etsi assensum præbere videretur, quantum tamen poterat, alterum dissuadebat: cum itaque ad iter venisset, rogavit B. Birgittam, ut oraret Dominum, quatenus mariti sui animum ad meliora mutaret: oranti ergo Sponsus dixit: Ite secure, nec moveamini ab itinere & sancto proposito &c.

[125] [ipsaque] Tempore, quo Sedes Apostolica erat in Francia, dominus Pontius, Urbevetanus episcopus, pro Papa Clemente in alma Urbe vicarius erat; hic quasdam revelationes B. Birgittæ habebat, sed pro cordis sui tepiditate &c. In monasterio Alvastræ loquebatur Christus Sponsæ suæ de quadam virgine, Helena nomine, quæ virginitatem suam Domino vovere disponebat, sic dicens: Attende & scias, quod virgo ista &c: Vide in Additionibus. Et, quamquam abscondita cordium latebrasque tenebrarum desuper ipsam illuminatam perlustrasse, supradictum est, superest, ut, aliquibus in medium collatis exemplis, verum esse, patefiat. Unde sciendum, quod dominus Franciscus, olim Fermepolitanus episcopus, nunc vero, cum deponeret, eremita, tactis sacrosanctis Evangeliis, dixit, quod, cum B. Birgitta in civitate Neapolitana infirmaretur, pro nonnullis animæ suæ

secretis ad eam accessit, spiritualiterque consulendam, cui miranti, multumque stupenti secretissimas cogitationes suas, quas nemini unquam detexerat prius, ipsa patefecit.

[126] [mentium arcana] Item postquam devota Mulier, de transmarinis partibus reversa, almam Urbem repetierat, dominus Gometius de Hispania, de quo in primo libro hujus fit mentio *, hoc audito, de ducatu Romam adiit, uxorem & filios ad hoc, ut de sancta Muliere notitiam caperent, & illius se orationibus commendarent, secum ducens. Romæ ergo in palatio ad S. Petrum vir magnificus cum sua familia degens, B. Birgittam ac natos ejus cum confessore & tota familia, ut secum & cum suis una cibum in charitate sumeret, quadam die obnixius precabatur. Quibus annuentibus & ad eam properantibus, vir præfatus secretas in mente cogitationes habens atque perplexitates, Christi Sponsam secretius alloquebatur, consilium accepturus: sed, cum plura haberet conscientiæ dubia, quædam reticuit, nonnullis propalatis: at Mulier sancta, secretorum conscia, occulta detexit, & per divinas revelationes responsa ac opportunum consilium ad omnia dedit. Quo viso, vir Deo devotus ferventiori ex tunc ad illam devotione afficiebatur.

[127] [detexit.] Præterea dominus Carolus, filius S. Birgittæ, in partibus suæ originis ad Matrem die quadam accedebat, quem illa amara simulatione redarguens: Vade, inquit, & mortale illud, quod commisisti, peccatum, celeriter confitere; negavit primo juvenis, sed Matre iterum atque iterum sermonem confirmante & dicente: Scio, certa sum, mortale delictum te perpetrasse; tandem aliquando confessus est. Denique in Urbe domina Margaritha Pauli Barthæ de regione Arenula, dum compar ipsius a quibusdam occisus fuisset, & inter consanguineos & affines perempti & peremptores lis magna & execranda suscitata, timens, ne filii, quos ex

trucidato viro superstites habebat, ex eadem lite periculum aliquod incurrerent, &, quod marito destituta fuerat, natorum solatio privaretur; cum autem nullam viam concordiæ invenire potuisset, ad Famulam Dei gemebunda accessit, &, antequam cordis sui cogitatum aperiret, ab illa præventa sui causam adventus valde mirans audivit, cum nec per se, nec per alium quempiam de hac re verbum eidem fecisset; dixit autem ei: Vade: quia cras ante horam tertiam solidam cum inimicis pacem habebis, & sic factum est: nam, illucescente crastino, utriusque partis consanguinei convenientes ante oculos Margaretæ mutuam inter se pacem statuerunt.

## ANNOTATA.

Schisma ecclesiæ ortum est post mortem Gregorii XI, qui Urbano V successit; at anno 1370 Urbanus Avenione sedem fixit: an hujus Roma Avenionem discessum, velut schismatis, quod dein secutum est, semen & occasionem consideravit Bertholdus, eaque de causa ab anno 1370 schisma quodammodo inchoatum fuisse existimavit?

Quindecim anni illi ab anno circiter 1355 usque ad annum 1370, quo Urbanus V S. Birgittæ Regulam approbavit, numerandi sunt. Vide Comment. præv. num. 317 & seq.

Anglicus Grimoardi, Urbani V frater, anno 1366 ex episcopo Avenionensi factus cardinalis S. Petri ad Vincula & Lateranensis ecclesiæ archipreysbyter.

Hujus nominis cardinalem creavit Clemens VI anno 1350, defunctum anno 1374: sed nobilis Romani, cui idem nomen fuit, meminit Baluzius in Annotatis in Vitas Pontificum Avenionensium col. 1464. Floruit Rainaldus hic Gregorii XI tempore, idemque hic forte designatur.

Rediit Romam Gregorius XI anno 1377: idem porro legitur in Scedula Nicolai, comitis Nolani, apud Hörmann pag. 814. Sed perperam ibi legitur Urbanus VI pro Gregorio XI.

Electis anno 1378 binis Pontificibus, Urbano VI Romæ mense Aprili; Clemente vero VII Antipapa Fundis mense Septembri, qui Avenione resedit.

Contigerunt ista Gregorii XI & Urbani VI temporibus: Dum hæc in Italia geruntur, inquit Leonardus Aretinus lib. 8 Historiarum Florentinarum, Gregorius Pontifex Romanus, audita Bononiæ defectione, quo ruentem Ecclesiæ statum repararet, sex millia equitum & quatuor millia peditum Britonum, ferocissimarum gentium, per Galliam scripta, in Italiam misit, cumque iis legatum a latere, quem Gebennensem appellabant; anno nimirum 1375, ut legitur in Vita prima Gregorii XI apud Baluzium col. 434 & seq.: Urbani vero VI tempore Silvester Budeus cum duobus millibus Britonum Castrum S. Angeli pro Clemente VII (Gebennensi mox memorato) occupavit, ut scribit Lobineau lib. 12 Historiæ Britanniæ Minoris ad annum 1379 pag. 427; illud vero dein Romanos post obsidionem fere annuam recepisse, &, licet non omnino, diruisse, scribit Theodoricus Niemius lib. 1 de Schismate cap. 20, addens, id a Bonifacio IX fuisse instauratum.

# LIBER III.

## De miraculis post ipsius obitum exhibitis & probatis.

## PROOEMIUM.

[S. Birgittæ miracula quædam, ab ejus morte facta, auctor enarranda suscipit.] Quemadmodum in brevi Legenda Vitæ ipsius recensetur, anno millesimo trecentesimo septuagesimo secundo in crastino sanctæ

Mariæ Magdalenæ sanctissima Mater nostra Romæ obiit a; & * cum illa optimam partem possideret in cælis, cujus vestigia per contemplationis quietem secuta fuit in terris: corpus autem ejus propter pressuram populi Romani pro devotione ad illud confluentis per dies duos sepeliri non potuit: circa mortem autem mandavit suis, ut post mortem, levato corpore, ad patriam ossa reportarentur. Post mensem igitur levatum est corpus de terra in arca, &, ne fœteret, monialium pars major nares suas claudendo fugerunt in hortum. Hi vero, qui de familia sua erant, verba ejus nullatenus inania, sed veracia existimantes, arca fiducialiter aperta, præter naturam communem & omnium existimationem corpus ejus mirabiliter purgatum invenerunt ita, quod sola ossa absque omni fœtore remanserunt; &, quod mirabilius est, nigra quædam pars conglobata, sicut thus redolens aut myrrha loco viscerum vel intestinorum apparebat. In ipsa autem translatione & post tanta in Urbe Roma & in aliis mundi partibus, præsertimque in regno Suetiæ miracula ad ostentationem meritorum suæ prædilectæ Sponsæ operari dignatus est Sponsus, quod vix lingua narrare vel calamus sufficiat exarare. Et de multis pauca in hoc tertio libello sunt collecta. Unde de mortuis suscitatis, quasi de præstantiori miraculo primum innectitur capitulum.

## ANNOTATA.

Ossa ejus, anno 1373 mense Septembri ex Urbe in Sueciam deportari cœpta, Vastenæ deposita fuerunt anno 1374, mense Julio, relicto Romæ in monasterio Panispernæ brachio.

## CAPUT I.
## De mortuis suscitatis, cæcis, surdis & mutis curatis.

[A mortis saltem periculo] Apud ecclesiam Horbi, diœcesis Upsalensis, quidam dezlavus, mendax tyrannus,

Petrum quendam nomine apprehendit, imputans sibi, quod famulus suus quendam vulnerasset rusticum, ob quam causam dicebat ipsum esse bannitum, & ille, famulum suum pro se respondere, nihilque sibi imputari debere, respondit. Tyrannus autem, apprehenso eo, cum ad sexcentum marcas taliare, tres demum ferri petivit lescas: sed duo curati ibidem existentes, ut periculum suum, sicut posset, redimeret, consuluerunt: quam ob causam vas unum ferri tyranno obtulit: tyrannus vero despectum in hoc fuisse se arbitratus, ad torturas illum poni jussit: perterritus autem homo Deo, & B. Birgittæ votum vovit, quod, si ejus meritis liberaretur, locum de Wasteno, ubi ipsius sanctum corpus requiescit, annuatim per decennium visitaret, dimidiumque ceræ talentum pro munere offerret. Facto itaque voto, cum nulla evasisset tormenta, ad furcas tandem forti chamo suspensus est: timebat enim profanus ille, quod & accidit, ne, si evaderet, contra eum querelam proponeret.

[130] A meridie igitur usque ad solis occasum in patibulo suspensus pependit, [suspensum liberat,] & tunc unus illorum Deo odibilium videns ocreas, corporis quoque ornamenta satis bona, voluisset sibi tulisse, sed puer XIII annorum adstans clamavit, dicens: Vide, quid facias, mulierem enim in albis usque ad pectus crines habentem, hominemque illum sustentantem ibi video; & homo, Utinam, inquit, sancta illa Mulier, cujus reliquiæ ad terram istam nuper translatæ sunt, cujus etiam per tres annos coquus fui, hominem istum juvare vellet ad salutem: ob reverentiam ergo illius præseindam cordam, vestes & ornamenta corporis dimittam; quod & fecit, eumque ibi jacere permisit. Jacens ergo usque ad noctem penitus exanimis & sine spiritu tandem post longum tempus respiravit, aperuitque oculos, & spiritus omnes parumper recuperavit. Manus tamen ambas adhuc ante pectus ligatas fortiter habebat. Denique viribus utcunque recuperatis, retraxit se infra blada, verens, ne

crudelissimæ bestiæ se forsitan redeuntes occiderent. Cumque funiculum disrumpere dentibus niteretur, mox ut illud ori applicuit, velut filum comminutum est. Surgens ergo inde ad locum, ubi prius captus fuerat, & ad sacerdotes nocte ipsa devenit; propositisque coram rege queremoniis, tyrannus cum suis satellitibus hanc ob rem extra regnum bannitus est.

[131] [variisque] In parochia Fialanebro Arosiensis diœcesis infans quidam sex septimanarum per dies XII infirmatus, tandem ab omnibus per unius horæ spacium mortuus judicatus est: cujus parentes B. Birgittæ præsidium cum lacrymis postulantes, revixit illico, & parentes ejus, qui pro illo voverant cum oblationibus Wastenam perrexerunt. Rusticus quidam Dyngestinæ incola a parentibus uxoris, quod eam exosam haberet, pluries fuerat redargutus; afflixerat quippe illam nonnunquam acriter verberibus. Nocte ergo quadam, cum sana cum eo dormitum iret, morte subitanea juxta eundem jacens præventu fuit. Mane autem facto, uxorem vir extinctam penes se reperiens, Deum ac B. Birgittam obortis lacrymarum singultibus in secreto loco suppliciter exorabat, ut ipse, mortis uxoris innocens, immunis illius consanguineos evadere potuisset. Consanguinei vero & vicini ad tantæ tristitiæ spectaculum concurrentes, & auctorem eum existimantes funus ad feretrum posuerunt amarissime condolendo.

[132] [Sueciæ locis] Dum autem vir pro vita uxoris, &, ut expers sinistræ opinionis fieret, orationi procumberet; vitæ restituta mulier viva voce sororem suam his verbis alloquebatur: Soror mea, ad quid huc venisti? Et circumspiciens circumstantes de ipsorum causa adventus interrogabat, qui dicebant, morte se ejus percepta venisse; tunc illa; Laus & gloria sit Omnipotenti Deo & sanctissimæ Birgittæ, cujus precibus merui pristinæ vitæ ad tempus restitui. Vir autem suus redivivam uxorem

audiens celeri cursu venit ad eam, flexoque genu, obnixius precabatur, ut, omnibus audientibus, an ipse sui obitus causa extitisset, enarraret; respondit, non, sed secundum voluntatem Dei hoc factum est, ut immensa Christi charitas, qua Sponsam suam Birgittam amplecti dignatus est, in me reveletur, cujus interventionibus de hac etiam * brevi disjungi debeam: & vocato ad se sacerdote, facta confessione, Eucharistia & extrema unctione perceptis, ut vera Christiana spiritum in manus Domini commendavit, conjuge suo ab omni malæ opinionis opprobrio immuni præservato.

[133] [varios] Quidam in parochia Folberæ, Arosiensis diœcesis, uxore mane surgente pro necessario opere agendo, cum duobus filiis parvulis quiescebat in lecto; qui filii ululatum horribilem emittentes, subito mortui sunt: quorum membra ita livida, livoreque tumentia effecta sunt, ac si verberibus fuissent affecta. Quos videns miserabilis genitor cum lacrymarum profluvio tulit in stupam ex eorum casu nimium dolens, & absque modo pavens, ne quasi interfector ipse ab aliquibus putaretur. Mater vero infantum plenam in sanctam Fœminam habens fiduciam, quod miraculorum per eam patratorum crebro famam attraxerat, venit pro altero dicens: O Reverenda Domina, si reddideris mihi istum vivum, portabo eum ad locum tuum in Wastenam cum oblationibus; cujus spiritus cœpit confestim in corpus paulatim introire, quemadmodum ex decedentibus solet paulatim recedere. Tunc mater nimis exhilarata in gratiarum actionem prorumpens dixit: Jam vado ad parochialem ecclesiam, Missamque in honorem Famulæ suæ cantare faciam: deinde tribus vel quatuor elapsis horis, potiorem in animo mulier concipiens fidem, O, inquit, gloriosa Domina! scio, quod potens es apud Altissimum, & hunc exanimem jacentem etiam restitue; qui protinus illo ordine, quo & prior, suscitatus est: igitur in Carnisprivio hæc mulier pluribus comitata vicinis, ista

secum testantibus, Watstenam venit, & dictos infantulos coram populosa multitudine demonstravit.

[134] Mulier quædam in Skaningia I peperit infantem, [ab ipsa morte] in ultimo spiritu constitutum, qui & incunctanter extinctus est, unde gravissimis mater attacta doloribus, præsertim, quod sacri unda baptismatis irrenatus discesserit, cum omnibus se circumstantibus cœpit gloriosam Viduam lacrymose expetere, ut proles sua tam diu sibi restitueretur, quamdiu ex fonte Baptismatis levaretur. Quo facto, non absque cunctorum admiratione & congratulatione ad vitam infans restauratus est: aliquibus vero revolutis hebdomadibus, cum infantulo vivo & incolumi Watzstenam mater gradiens infinitas Deo & B. Birgittæ gratiarum actiones referebat, imaginem infantis argenteam pro indulto sibi beneficio offerendo. Per tres horas & ultra puer quidam defunctus, rigidus jacebat & frigidus; cumque jam omnes flerent, votum vovit mater sanctæ Birgittæ, quod, si puer revivisceret, non solum ejus limina visitaret, sed & perpetuum sibi aliter corde deserviret. Quo emisso voto, brevique interjecto spatio, surrexit puer ad vitam, quem mater Watzstenam ducens plurimorum fide dignorum testimonio ita factum ostendit. Consimilis gratia de altero fertur puero, qui longiori temporis spatio ad unius fere cereæ faculæ combustionem exanimis perseverans, invocata cum voto Ancilla Christi, surrexit a mortuis.

[135] Margarita de oppido Eckne Arosiensis diœcesis mortuum peperit infantem, [ad vitam revocat,] totaliterque denigratum, cujus lingua extra labia extendebatur, cunctis, qui aderant, quod quasi niger carbo in ejus ore haberetur, existimantibus: qui & phantasma magis, quam homo putabatur: hæc ut votum vovit ad Watzstenam, & infans revixit, & in omnibus membris colorem & formam decentem recuperavit. Inghenaldi uxor de oppido Nybile, Strengenensis

diœcesis, cum ingenti labore atque dolore exanimem infantulum enixa est, pro cujus vivificatione parentes, cum per integrum & naturalem diem defunctus jacuisset, egregiæ Sponsæ Christi fecerunt votum; in quem protinus a fonte vitæ vitalis spiritus ingressus est. Duorum annorum puella, Margarita nomine, filia Laurentii Massa de oppido Petharphyeto, Strengensis diœcesis, supra se incaute lectisterniis positis, subito suffocata est, & mortua: rediens vero mater hora tertia filiam extinctam reperit, membris rigidam, & incurvabilem; pro restitutione ergo filiæ venerabilem dominam Birgittam invocabat, non desistens a prece, donec filiam ante solis occasum redivivam acceperit, quam Wazstenam delatam multis inibi ostentabat.

[136] [quod & Romæ facit,] Rursum puella trium annorum, Catharina nomine, filia Nicolai de oppido Gnotoso Strengoniensis Diœcesis casu in stagnum cadens suffocata est, & per integras novem horas a plerisque quæsita minime inveniebatur. Quod ut Mater audivit, surrexit illico & ad stagnum currens, flexis genibus, cum filia se Wazstenam peregre profecturam, devovit, si eandem vivam S. Birgittæ meritis recuperare posset. Quo facto, cadaver in loco, ubi prius sagenis multisque aliis instrumentis fuerat diutius perquisitum, super aquas jacere perspexit: quo ad litus delato, aqua, quæ in submersione influxerat, effluente, matreque obsecrationibus perseveranter instante, puella amissæ vitæ usum recuperavit. In Urbe Roma quædam domina apud S. Mariam de Minerva, cum plures filios retro tempore mortuos peperisset, extinctum infantulum etiam ista vice parturiit; huic mater ejus dixit: Fac votum, filia, B. Birgittæ, cujus meritis Deus illum forsitan suscitabit. Et illa, Quomodo, inquit, mater, fieri potest, quod dicis, cum sit mortuus? Invocata ergo sancta Fœmina, mox puerulus oculos aperuit, & matris ubera suxit. Item in oppido dicto Skaningen o Lyncopensis diœcesis mulier quædam,

nomine Elisabetha, filiam mortuam pariens S. Birgittæ pro filiæ restauratione se devovit, & extemplo, quæ decesserat, ad vitam rediit. Mulier autem promissa exsolvens redivivam filiam cum argentea imagine in Watzsteno præsentavit.

[137] [cæcos] Duo cæci, quorum unus a nativitate, alter vero octo annis cæcus fuerat, in Watzsteno S. Petri ad Vincula *, quia scilicet propter Indulgentias populosa illuc multitudo hominum concurrebat, cernentibus, qui aderant, multumque stupentibus, videndi usum acceperunt. Item vir quidam & una mulier, similiter cæci, eodem tempore ibidem illuminati sunt. In oppido Rickhem regni Norwegiæ puellæ XII annorum, filiæ Ysæ viduæ, pellicula super oculos rubea & multum spissa crescebat, a qua nihilominus per annum integrum est penitus cæcata; sed cum nullis medicorum artibus illi subveniri posset, vovit se mater una cum filia reliquiarum S. Birgittæ locum in Watzsteno visitare. Mirum etenim dictu; nam, pellicula, veluti cera a facie ignis, continuo evanescente, clarus puellæ visus restitutus est. Petrus valde senex & pauper homo de oppido Mos Schrenensis diœcesis altera manu dolose debilitatus, & cæcus per tres annos pro sanitate recuperanda almæ Viduæ reliquias visitaturus spopondit, prout potuit capiens iter, cumque pervenisset, meritis illius, quam invocaverat, divina sibi assistente gratia, integram utriusque membri recepit sanitatem.

[138] [non paucos,] Margaretha, filia Laurenti, fœmina XX annos ætatis habens, Arosiensis diœcesis, biennio corporali lumine destituta pro ipsius recuperatione Watzstenam iter arripiens misericordia Dei præventa in ipso quoque itinere clarum visum recuperavit. Crispina vidua de oppido Estrarirbi Lyncopensis diœcesis, in sinistro oculo decem, & in dextero tribus annis percussa, in festo ad Vincula S. Petri utriusque luminaris beneficium in supradicto monasterio, cernentibus multis; accepit. Ex

adverso infortunio curatus parochialis Aboënsis diœcesis, Olaus nomine, excœcatus, annos circiter tres cæcus permansit; qui pro visus sui reparatione, nec non pro venerabilis Sanctæ veneratione ter se suum monasterium aditurum, repromittens, limpidum extemplo visum consecutus, in festo Petri ad Vincula pro prima vice votum exsolvens coram domino Joanne Aboënsi episcopo, quod factum fuit, testificabatur, qui nimirum episcopus clericis suis in synodo miraculum tam grande publicavit.

[139] Eo in tempore, quo reliquiæ Sponsæ Christi de Urbe ad Watzstenam portabantur, [mutos, surdam,] accidit, quod, cum quadam nocte copiosa multitudo, quæ reliquias sequebatur, in quodam magno prato sub tentoriis requiesceret; puer quidam mutus IX ætatis habens annos propter pluviam sub feretro reliquiarum ponebatur, ubi, personis attestantibus fide dignis, loquendi usum, quem non petierat, accipere merebatur. Nicolaus pistor, a nativitate mutus & in XL anno constitutus, istorum miraculorum fama percepta, gratia adipiscendi loquelam Watzstenam profectus est, qui, soluta in itinere lingua, ad votum exauditus cum gaudio ad propria remeavit. Mulier quibusdam annis surda pro Sancta honoranda, & pro sensuum integritate recuperanda votum vovit, ad locum de Watzsteno se debere proficisci, quo facto, surditate detersa, quod poposcerat accepit, & votum suum deinde perfecit.

[140] Crispina vidua de oppido Harnolieuga Lundensis diœcesis regni Daciæ VII annorum filium habuit, [& claudos sanat.] Olavum nomine, a nativitate claudum & mutum, quem mater cum alia filia Helena per X dietas in humeris Watzstenum deportatum, in vigilia Pentecostes illic applicuerunt. Ubi puer eodem die plena ad ambulabat, & in conspectu omnium exiliebat. Dominus Magnus, qui fuit de familia B. Birgittæ, vir utique fide dignus, testatus est, quod, cum esset in monasterio

Watzsteno personaliter constitutus, vidit adolescentulum quendam de Vesgotia civitate Echarensi annorum quindecim, qui a nativitate mutus fuerat, ante reliquias beatæ Birgittæ præsentari, qui mox loquelam adeptus domino Katilmundo confessionem suorum fecit peccatorum.

## CAPUT II.
## De paraliticis curatis, liberatis a morbo caduco, & curatis ab aliis diversis infirmitatibus.

[Idem facit] Dominus Nicolaus, curatus ecclesiæ parochialis Schwanchalensis diœcesis Lyncopensis a paralisi dissolutus, tempore Quadragesimali pro recuperanda sanitate, prout potuit, Watzstenam venit: qui adeo in paucis convaluit diebus, quod sancto die Paschæ, & aliis quamplurimis diebus Missas celebravit, & de cetero ecclesiam suam incolumis gubernavit. Quidam quoque pedibus & manibus contractus, fere omnibus notus, ibidem sanatus est. Nobilis quidam, Raginaldus nomine, paraliticus effectus est, ita quod nullius membri dexteræ partis usum haberet, & loquendi amisisset emolumentum: ex quo uxor ejus, sacerdosque curatus, cum ipse personaliter non posset, pro eo voverunt, quod B. Birgittæ limina visitaret, oblaturus pro quolibet articulo naturalis sui officii usu carente marcam unam ceræ, si ad pristinam salutem reparari contigisset: voto itaque emisso, mirum in modum absque cunctatione sensit, se paulatim sanari & infra paucos dies per pedes Watzstenam adiens, votum suum lætabundus exsolvit.

[142] [paralyticis] In regno Norwegiæ civitate & diœcesi Traudiensi Margarita quædam erat paralitica & muta, totiusque corporis viribus inconsolabiliter destituta, quasi truncus inutilis jugiter in grabato jacens: huic dormienti domina quædam habitu venerando visa fuit dicens: Ego sum Birgitta de Watzsteno, jamque de tua te incurabili

infirmitate curabo; tu vero sanata reddes vices, ad meum locum veniens indultum tibi in secreto beneficium propalabis: &, hoc dicto, morbidos artus quasi quodam unguento linivit: expergefacta mulier omnium membrorum sentiebat incolumitate potiri, loquela, cunctaque corporis fortitudine sibi plenarie restitutis. Hæc Watzstenum veniens coram multis omnia enarravit; cujus quædam membra, præcipue in dextera parte carnositate fere carentia, pestem, quæ eadem depasta fuerat, satis liquido præferebant. Rursum in eodem regno quædam paupercula mulier Osloënsis diœcesis annis quinque jacuit paralitica adeo, quod nec spiritum habuerit, nec in aliquo corporis membro robur possedit ad plenum: notis ergo suis Famulæ Dei pro illa voventibus eam, perfecte e vestigio convaluit, quæ ad monasterium Watzstenense via aspera multumque prolixa gaudenter accessit.

[143] Quidam de Arosia IX annis epylepticus fuerat, [& epilepticis.] & quasi omni die trina vice ex illo patiebatur morbo: itaque ad reliquias S. Birgittæ genitore pro eo vovente, incunctanter sanatus est. Item in eadem diœcesi mulier quædam XIV annorum filiam habens, quæ a quinto nativitatis suæ anno morbo epyleptico tam graviter laborabat, quod tredecim vicibus in terram cadens, & spumans die quolibet naturali miserabiliter affligebatur; vovit, quod una cum filia sanctæ Birgittæ reliquias visitaret, si suis meritis a tanta eam miseria liberaret. Quæ &, omni mora penitus sublata, optatæ saluti restitui merebatur. Parvulus puer, Laurentius nomine, filius domini de Columna de Urbe, viri utique illustrissimi, morbo laborabat supradicto: cui dum semel casus contigisset, & terribiles faciens gestus alicujus energumeni ad instar totus torquetur, domina Lætitia, avia pueri, ad quandam suam nurum de tunica Sponsæ Christi aliquid habentem, quam cito perrexit, parvulumque frustum inde præscindens, frontem pueri ægrotantis ex eo tangi fecit; ad cujus tactum puer, confestim quietatus a morbo

totaliter sanatus est, & liber ab inde perseverans. Item cum Maria infantula, filia Stephanæ, nutricis Oddi, parvuli filii prætaxati Domini Agapiti, simili modo torqueretur immaniter, domina Catharina, uxor domini Agapiti, cum præfati panni frusticulo infirmantem puellam pari modo, parique devotione tangi fecit, quæ a tali ægritudine protinus ac penitus liberata omnibus admiranda videbatur.

[144] Quemadmodum Papa Bonifacius refert, dum adhuc B. Birgittæ funus, [Plures item] in ecclesia S. Laurentii de Panisperna Romæ superstes, & inhumatum haberetur, mulier quædam Agnes de Concisa, quæ a nativitate guttur habebat deforme atque grossissimum, cum aliis venerandum cucurrit ad funus, &, cum propria zona manus sanctæ jacentis Birgittæ cum devotione tangi fecisset, zonam eamdem simili devotione circumduxit ad collum, & paulo post guttur detumuit, & ad conformitatem debitam miraculo divino fuit redactum: verum Francisca de Sabellis, dicti monasterii S. Laurentii monialis, quæ biennio debilitatem & adversam stomachi valetudinem passa, fere semper lecto decumbens, & honorandæ Viduæ familiaris fuerat, dum adhuc insepultum corpus infra claustrum servaretur, cum gravi labore de lecto surrexit, tam longam patiens infirmitatem, & adjuta pervenit ad feretrum, & secus illud jacuit tota nocte: nec, dum jaceret, Deum desiit cum devotione & instantia deprecari, quatenus meritis & precibus Viduæ, cujus corpus aderat, a tam molesta tamque diutina valetudine in tantum saltem alleviaretur, quod cum reliquis monialibus divinis interesse posset. Et mane facto, recepit integram sanitatem, ut optavit.

[145] [diversi generis] In civitate Neapolitana Palmerius trapezyta infirmatus ad mortem, uxorem habebat ad sanctam Viduam (quam superstitem visitare consueverat) singularem devotionem habentem. Hæc videns

complicem suum lethali morbo laborantem B. Birgittæ spopondit, quod, si ejus suffragiis ægrotus evaderet, in S. Maria de Carmelo, ubi imago ipsius depicta venerabatur, Missas dici, cereos offerri, lampades quoque incendi faceret. Voto ergo facto, vir, qui quasi in extremis laborabat, B. Birgittam super se prostratam incumbentem in visione vidit: de qua nimirum visione admodum confortatus dixit: Ego sanus sum, quia beata Birgitta me sanavit; & sanus continuo inventus est. Præsentem se fuisse asserit dominus Magnus presbyter, cum quidam puer quatuor circiter annorum, Jacobus nomine, nepos dominæ Delphinæ, Romæ cum febre continua fluxum ventris potissime patiebatur: & quia plerique tunc parvuli ex istiusmodi influentia deperibant, admodum de illius pueri interitu timebatur. Unde tam prædicta domina Delphina, quam pueri incessanter flebant: denique domina Delphina vovit, quod, si dominæ Birgittæ meritis puer evaderet, signo crucis insignito mantello, quemadmodum fratres laïci in religione illius induuntur, vestire eum faceret, & de reliquiis ipsius quidpiam ad collum pueri ligari faceret. His sic gestis, puer repente convaluit, & sanitatem pristinam perfecte recuperavit.

[146] [morbos,] Puer quidam, nepos dominæ Angelæ, uxoris Lelli Petri, de Urbe, de regione Columnæ pessimum circa lumbos ulcus habens in mortis discrimine positus est, eoque exterriti medici nullum adhibuere remedium: tunc memorata domina vestimentorum S. Birgittæ particulam, quam semper devote servaverat, acceptam super ulcus pueri in serico ligavit, ipsius sancta merita devotius interpellando. Mane facto, ita puer inventus est sanus, quod nec vestigium quidem perpessæ infirmitatis appareret. Similiter nepos * supradictæ Angelæ glandulam quandam cum vehementi febri patiebatur, quam medici incidendam dixerunt; mater autem infirmi *, suprascripti miraculi recordata, mente Christi Famulam adiens seque & filiam toto illi animo recommendans,

præfatum panniculum a domina Angela petitum desuper glandulam per noctem posuit & ligavit: in crastino autem medici secturi venientes puellam totaliter liberatam, febremque cum peste penitus fugatam invenerunt.

[147] [S. Birgittæ] Præterea cum alius nepos sæpe dictæ dominæ Angelæ, filius Francisci Barii de Capociis, Romani civis, trium circiter annorum horrendum apostema cum acutis febribus pateretur in spatula, plurimasque medici adhibuissent medicinas & nihil profecissent, sed venturo die incisionis ferro uti decrevissent, domina Angela fide plena particulam illam panni super emplastrum magna cum devotione invexit, postulans tumefactam illam suis suffragiis eatenus mortificari, quatenus sectionis acerbitatem tenellus puer nullatenus degustaret, quod si fieret, memoriam illius faceret depingi, & illud miraculum ad ejus laudem publice prædicari: sequenti ergo die, cum ad incidendum morbum chirurgi * e loco illum evanuisse repererunt, & multa putredine posteriora petiisse; puer autem sospes & lætus de lecto consurgens, ludentes pueros requirebat.

[148] Item Romæ prope S. Eustachium domina Francisci, [meritis] uxor Petri Pauli Vellivi, in dextera manu morbum, qui, Noli me tangere, dicitur, habens, tumoremque unius nucis grossitudinem præ se ferentem ab exteriori parte manus perpessa est; hæc, requisitis medicis, quare pestis incurabilis erat, repulsam accepit: qua in re ad B. Birgittam se conferens ereptionem precabatur, & confessa sacerdoti particulam vestimentorum illius, quam interpellaverat, desuper colligavit, & votum fecit; altera autem die, evanescente ægritudine, sospitem se prorsus ac penitus incolumem invenit. Jacobella de Colanidio de Urbe parochiæ S. Eustacii filium peperit, qui infra septem dies taliter infirmatus est, quod nec una quidem vice matris ubera suxit, quasi mortuus jacens, frigidus ac contractus, ita quod de vita ejus spes omnis deperierat.

Avia vero ejus, S. Birgittæ fama comperta, inquit ad filiam: Oremus, & ad ipsius sepulchrum faciamus peregrinationem, cui illa: Quomodo, inquit, possibile est, o mater charissima, quod eum nobis restituet, cum magis mortuus, quam vivus censendus sit. Denique avia sciens, quod omnia possibilia sint credenti, devovit illum cum facula cerea ad ipsius sepulchrum se delaturam, si de ejusdem convalescentia suis meritis faceret se gavisuram. Nec mora: revixit quodammodo puer, &, apertis oculis, parentis mammas exquirens de faucibus mortis liberatus est, & vivit, & vocatur Andreas. Scripta sunt hæc de ore matris.

[149] In castro S. Angeli h Tyburtinensis diœcesis Elpena quædam mulier, [ab ægris] oculis dumtaxat exceptis, membris ceteris destituta, dolores intolerabiles tam in capite, quam in mammillis, quam etiam in omnibus artubus patiebatur incessanter, & erat quasi morti proxima. Audiens vero famam miraculorum istius, quam Deus tantum mirificaverat, intime se illi recommendans ad ipsius sepulchrum votum fecit, paululumque dormitare cœpit. Tunc domina quædam aspectu veneranda, ad cujus fimbrias cerea pendebat imago, apparens sibi dixit: Quid vis mulier? Respondit illa: Quæ es tu Domina? Et ait: Birgitta sum de Suetia; at illa: O Domina, inquit, mea reverenda & sancta, tu vides, qualem infirmitatem & dolores patior: supplico ergo tibi, ut me sanes: quod si feceris, locum sepulturæ tuæ Romæ visitabo, imaginem ceream, luminaria & oblationem portabo; & illa: Certe, filia, bono hoc opere petisti, quia sicut in omnibus aliis membris ita & in oculis patereris: nisi enim * divinum auxilium, me mediante, implorasses, & dixit: Volo ergo te sanare, &, signo crucis facto, digito illius caput tangendo, a tanta ægritudine mulier continuo immunis evigilavit.

[150] Item in eadem diœcesi in castro Cæciliano Petrucius Neciæ infirmabatur ad mortem, [depulsos,] nec

erat spes de vita ipsius. Hoc audiens Lucia Bartholomæi, Joannis Antonii de Castro S. Angeli, infirmum adiit, ut certam tritici quantitatem sibi debitam, antequam moreretur, si posset, recuperaret, & videns illum in extremis agentem, modicum quid de veste S. Birgittæ, quam habebat, accepit, languentia infirmi membra cum illa tangendo: mira res! Corpore, nullo temporis interveniente spatio, æger prosiliit e lecto, & resedit ad ignem, quia frigus erat. Sic dicta Lucia ore suo proprio coram tribus testibus enarravit. Domina Cilena, uxor præclarissimi viri domini Joannis de Columna de Urbe, cum juramento de se ipsa firmavit, quod, cum talem infirmitatem pateretur in gutture, quod a medicis derelicta esset dicentibus, de tali peste nullatenus nec per manus Dei ipsam fore evasuram: non enim poterat os ad comedendum aperire; cum qua potuit instantia atque devotione ad B. Birgittam se convertit, hoc illi stipulando, quod, si de tanto mortis discrimine sua prece raperetur, coronam de perlis, propriis excultam manibus, in loco sepulturæ sibi præsentaret, Missam quoque celebrare faceret, quam flexo & nudo poplite devote audiret. Voto itaque facto, obdormivit quantisper, videbaturque sibi, quod quasi quædam humana manus pellem sui gutturis traheret; quæ cum aliquali dolore expergefacta, sanie multa fluente, apostema fractum reperit, & mortis periculum evasit.

[151] [vidit Italiæ.] Apud S. Mariam rotundam cocculus Joannis Cymini, Romanus civis, tanta ægritudine laborabat, quod de vita ejus medici penitus desperarent, siquidem in extremis agens dies quinque sine loquela transegerat, confessione non facta, nec communione sumpta: videns hoc avuncula sua, domina scilicet Francisca Papazura, modicum de linteamine, quod Sponsæ Christi fuerat, secum bajulans perrexit ad ægrotum, & facto ad sepulcrum voto, cum eodem panniculo seminecem in facie & corpore contrectavit, &

vocans illum ex nomine tertio respondentem audivit: angelicam quoque salutationem, omnibus illum audientibus, legere fecit. Inde vero cum necdum plena loquela potiretur, fratrem Angelum de Ordine Humiliatorum precabatur, ut Legendam S. Birgittæ apportaret, & languidum ex ea contingeret. Quod ut factum est, & spiritum mentis perfecte recepit, & loqui expedite potuit, factaque confessione, sacrosanctam Eucharistiam sumpsit, plene omni sanitati postera die restitutus.

## CAPUT III.
## De vexatis a diabolo, periclitantibus in partu, & naufragantibus.

[Patrocinium ejus] Puer septennis novem vicibus die quolibet a nefando spiritu torquebatur: qui, facto a matre voto, & Watzstenam cum oblationibus ab ea deportatus, non sine omnium admiratione a sævo tortore liberatus est. Christina, uxor Laurentii campanarii ecclesiæ Kiill diœcesis Strengensis a obsessa a dæmone & totius corporis privata valetudine, spiritusque rationalis in parte amisso lumine, per XVI annos continuos videlicet afflicta jacuit in grabato. Audivit etiam ab eodem dæmone verba horribilia, dicendo inter alia verba ad eam: Jam volo cor tuum extrahere de corpore tuo, teque turpissima morte condemnabo. Post apparuit ei quædam pulchra Persona in visione dans ei consilium, quatenus peregrinando visitaret monasterium S. Birgittæ in Watzsteno, ut ab immundo spiritu purgaretur: evigilans autem invenit se saniore intelligentia potiri, quam ante: deinde percipiens, multos peregrinos locum in Watzsteno visitaturos ad festum nativitatis B. M. V., præparavit se & ipsa, ut eundem locum visitaret, &, si ire non posset, sicut utique tunc competenter non valuit, saltem per manus & pedes reptando illuc properaret. Postquam igitur iter arripuerat,

statim a dæmonio liberata fuit, & antequam Watzstenam veniret, sanitati pristinæ tam in ratione, quam in corpore plene restituta fuit.

[153] Quidam Olavus agricultor diœcesis Arosiensis gravissimo languore circa Carnisprivium afflictus per tres continuos dies vidit XII dæmones teterrimos in habitu usque ad nates decurtato, [vexati] calceis rostratis secundum turpissimam consuetudinem aliquorum modernorum juxta se corisantes & dicentes: Si vis consentire nobis, ditabimus divitiis; sin autem nolueris, te turpissima morte condemnabimus, teque nobiscum ad tartara perducemus. Quibus ille respondit: Consentiam Deo meo, & illi reverendæ Famulæ sive dominæ Birgittæ, cui votum peregrinationis emiseram, in quam tota fiducia spero, quod virtute divina me de minarum vestrarum terroribus eripiet. Illam enim omnibus diebus vitæ meæ, in quibus potero, honorabo; finitis autem illis tribus diebus, horribilis illa visio dæmonum disparuit, & ille statim, pristina sanitate percepta, perfecit humiliter votum suum. Mulier quædam, Catharina nomine, de diœcesi Strengensi hora Completorii in Carnisprivio revertens a convivio, in quo cum aliis choreas minus honeste duxerat, in platea, priusquam venit in domum, a diabolo arrepta est, & ita crudeliter percussa, quod a planta pedis usque ad verticem in omnibus membris esset livida: sensu, loquela, visu, auditu, totiusque corporis perdita valetudine, noctem illam in maxima peregit miseria: circa diluculum autem vocati sunt ad eam duo honorabiles presbyteri, qui cum aliis amicis ejus votum peregrinationis ad Watzstenam ob reverentiam S. Birgittæ & ob sanationem miserabiliter afflictæ mulieris emiserunt: cui eadem hora spiritus & robur corporis non sine admiratione adstantium est restitutus.

[154] [vel obsessi] In eadem diœcesi fuit puella adolescens, quam secunda die Paschæ invasit diabolus, &

per integrum mensem bis vel ter in quolibet die crudelissime vexavit eandem, ita quod venter ejus videbatur se erigere: ejus dolori dominus suus compatiens fecit votum pro ea gloriosæ dominæ Birgittæ; quo facto, statim discessit diabolus ab ea, sibique ulterius nihil nocuit. Alius etiam, Petrus nomine, Lyncopensis diœcesis invasus est a diabolo, a quo per sex annos est crudelissime vexatus: hic feria tertia antecedenter ad Vincula Petri veniens ad Watzstenam ab inhabitante se dæmone solito gravius arripitur, & amarius vexatur; prostratus enim in terra extra capellam, & jacens in dorso & erectis oculis in cælum nil videbat, manus & pedes in modum crucis extendebat, his terræ firmiter adhærendo: hujus stomachus aliquoties in tantum intumuit, quod supra pectus usque ad mentum se videbatur erigere, ac si magnum quid corporeum curreret in visceribus ejus.

[155] [ad dæmone,] Interdum autem in tantum immergebabatur, ac si viscera non haberet: palpitando pectus movebatur, ut velut a vento pulsatum sit, ut ossibus non rigesceret, multoties totum corpus in medio tantum erigebatur, ut plena ulna erat interdum inter terram & dorsum ejus, capite tum & pedibus terræ firmiter adhærens, sicque stetit multoties firmiter quasi latro supra rotam patibuli incurvatus, hujusmodi etenim miseria in conspectu multorum affligebatur feria III, IV, V, VI, & sabbato. Nocte vero media inter Sabbatum & Dominicam apparuit ei alter dæmon in specie magni canis, & tangens cum pede pectus dæmoniaci dixit humana voce: Exi hinc, socie charissime, alioquin in brevi maximum scandalum patieris. Quo dicto, exiit dæmon per os dæmoniaci, quasi serpens magnus & horribilis, & post pauca factus ut hircus cum magno impetu præcipitavit se in profundum stagnum monasterio adjacens. Eo autem tempore in Watzsteno aderat dominus Archiepiscopus Upsalensis prætactus.

[156] [uti & periclitantes in partu experiuntur:] In castro Polimary Balensis diœcesis mulier quædam gravissimis pressa doloribus, eo quod partu præventa parere non posset, clamoribus & ejulatibus insistebat: cui dominus Franciscus, olim Fermepolitanus episcopus, tunc vero eremita, supra memoratus accurrens tanti doloris causam percontabatur; & agnito, quod periclitaretur in partu, de capillis S. Birgittæ supponi fecit, & illo instanti abortivum, quem gestabat, enixa a mortis discrimine liberata fuit. Cum reliquiæ S. Birgittæ in Sueciam portabantur, portitores, ut Missam audirent ad monasterium, quod Clarevallis regni Poloniæ dicitur, diverterunt; quædam mulier illis in locis in pariendo diu patiebatur, sed confestim, ut sanctissimum corpus domum illius ingrediebatur, cum multa facilitate protulit partum suum. Item quædam mulier IX diebus periclitabatur in partu; quæ multa vovit, ac multis Sanctis se devovit, sed, cum nihil omnino proficeret, tandem aliquando quibusdam, quæ intererant, mulieribus pro se voventibus, quod ipsa cum omni domo sua domum S. Birgittæ visitaret, mox ad horam tanta facilitate parturiit, quanta nunquam antea potuerat, cum tamen octo jam infantulos parturiisset.

[157] Quidam navigio ad nundinas sancti Batwini in superiore parte Suetiæ transeuntes, [alii] gravissima tempestate oborta, nimis facti sunt anxii, quoniam ex procellarum impulsibus navis increpuit, & aquis replebatur; qui quasi nihil aliud, quam submersionem exspectantes, B. Birgittæ devote implorabant auxilium, & mox quasi manu quadam navis levata a procella in terram jactata est, qui tandem unum puerum deficere cognoscentes, flexis genibus, rursus pietatis Matrem humiliter acclamabant, & statim procella surgens puerum vivum atque illæsum ad terram propellebat; hi omnes ad Watzstenam venientes & Christi gloriam, qui per suam Famulam tot & tanta mirabilia operari dignabatur, collaudantes, cum gaudio fratribus ista referebant.

[158] Quidam de Lyncopia, Aquisgrani juxta votum peregrinatione peracta, [per undas] in mari constituti, ad propria revertebantur: navi vero, in qua erant, reluctante, ignis fulminis in summitate mali protinus incendebatur: qui periculum mortis evadere diffidentes, positis genibus, Dei & Famulæ suæ auxilium cum lacrymarum profluvio postulabant, omnes viva voce clamantes & dicentes, reliquias ejus in Watzsteno se visitaturos, si petitionum suarum celerem consequerentur effectum. Hoc facto, quasi per unius manum fulminis incendio in mari jactato, de tanto periculo liberati, dum ad portum desideratum applicuissent, Watzstenam velociter perrexerunt Deo & B. Birgittæ laudem & gloriam referentes.

[159] Abbas de monasterio Jullita in hæc verba litteras ad Watzstenam direxit: [navigantes] Reverendo viro domino Petro Priori Alvastri in Watzsteno existenti in Domino salutem. Abscondere cœpi, quod experior non abscondendum esse, videlicet, quod illa gloriosa domina Birgitta magna, dum invocata fuerit in aquarum periculis, auxiliatrix adest miraculis &c: Nam in stagno Maleer prope passagium Olghsund navim ascendi transiturus Strengenas, extensoque velo sub illo vehementissimo flatu, qui circa festum B. Martini fuit, in scopulo quodam læsa est navis; fracto autem gubernaculo, & rupta navi, velum deponere volebamus, sed non potuimus, ipso flatu instrumenta veli frangente, sicque navis velocissime currens in alium lapidem impegit & fortius rupta est. Tandem velum trahere non valentes in tanto periculo Missam: Salve sancta Parens &c: in honorem gloriosæ Birgittæ vovimus dicendam, & tantum protinus relevamen accepimus, quod nec minima gutta aquæ percipiebatur navim intrare; pueri autem, priusquam navis rumpebatur, ad unam leucam pluries exhauserunt aquam; quia navis propter vetustatem porosa erat.

[160] Rupturæ vero tam amplæ, quod non erat in potestate nostra navi auxilium ferre: [naufragii;] ipsis itaque rupturis ab invasione aquæ miraculose exemptis, etiam pori, qui ante aquam receperunt, tanto deferentes facto, quieverunt: veruntamen aqua rupturis illidens inconsuetum sonum dedit, mira reluctante potentia: in operatione * tantæ reluctantiæ ostendit se talis actio minoris esse potentiæ. A terra utique remote eramus sub isto facto longe ad dimidiam leucam, sed navis postmodum remis ad terram ducta & in portu firmata, aquam mox cœpit sorbere: post ejus reparationem pueri laboraverunt in exhauriendo aquam de navi juxta civitatem Strengensem, & demum prosequebantur viam versus civitatem Stockholmis, ubi navis eadem penitus est destructa, illæsis tamen famulis & rebus nostris. Hæc autem facta sunt non invocantis merito, sed dignitate invocatæ. Quid ergo tantæ auxiliatrici rependemus? Scimus enim pro certo, quod ipsa gloriosa Birgitta re & nomine veraciter existit bona, eam invocantibus gloriosum juvamen tribuens. Taceant adversarii, valete in Christo: scriptum in crastino Vincentii Martyris.

[161] [aut per glaciem euntes] Decem viri cum puero parvo sedebant ad piscandum super glaciem in stagno magno monasterio Watzstenensi adjacenti, quod talis est consuetudinis, quod, dum appropinquat tempus resolutionis glaciei, vehementissimo strepitu incipit ebullire & commoveri a profundo, & magna violentia rumpere ponendo parvas rimas, quæ sunt in glacie, has in modico temporis spatio faciens valde latas, licet glacies in densitate habuerit plusquam unam ulnam: & tunc, juvante superius impetu ventorum, dividitur tota glacies in grossa frusticula, & tunc multi existentes super illam glaciem multoties submerguntur. Sed licet istud * videatur, hoc tamen omnis circumjacens regio attestatur. Sex ergo ex dictis viris commotionem a profundo audientes, & stagni consuetudinem præscientes, cursu

velocissimo ad littus properabant, relictis piscibus, quos prendiderant, cæterisque rebus suis. Alii vero quatuor cum puero suo, volentes sua secum tollere, substiterunt, donec viderent aperturam inter se & socios suos tam amplam effectam, quod possibile * erat eis venire post illos.

[162] [submersionis periculo] Unde ex horribili collisione & glaciei commotione usque ad mortem turbati, cum nihil exspectarent, nisi submersionem subitam, levaverunt oculos suos versus Watzstenam, gloriosam dominam Birgittam sibi humiliter invocantes: quo facto, mirum in modum pars glaciei, in qua illi stabant, periculosissime in ictu oculi contra violentiam ventorum conjunxit se ad partem illam, quæ adjacebat littori, in qua sine periculo stabant eorum socii, permittens eos ad locum securitatis accedere. Jamque illis in securitate stantibus, glacies tanta facilitate disjuncta est, quanta fuerat conjuncta: dictus vero puer properans post eos, sed persaltare non valens cum tanta facilitate, quanta illi, cum disjungeretur glacies, prosiliit in aquam, quod videntes prædicti X viri ipsum in nullo juvare valentes, pro ipsius liberatione B. Birgittam flexis genibus implorabant: quo facto, mox substituta quasi sibi manu cujusdam ex aqua est levatus. Illi ergo omnes, quibus dictum miraculum factum est, circa Annunciationem Domini venientes ad monasterium Watzstenense, & lacrymantes præ gaudio auxilium sibi mirabiliter & misericorditer præstitum pluribus intimabant.

[163] [eripiuntur.] Thorberch mulier de villa & parochia Kyarlunda Osloënsis diœcesis regni Norwegiæ circa Annunciationem Domini cum marito suo super glaciem valde fragilem & porosam ibat, qua subito deficiente, in profundum ambo ferebantur: sed, cum mergi cœpissent, clamavit mulier, O S. Birgitta, salva me: quæ statim quasi manu levata est super glaciem, quæ ita gracilis erat,

quod sub pedibus ejus postmodum sæpius frangebatur; licet ipsa non mergeretur. Ad ipsam vero * se pertingente, ex magno tunc imminente vento glacies tota resoluta est. Hæc tertia die post Pentecosten Watzstenam veniens indultam sibi gratiam constanter atque gratanter fatebatur.

## CAPUT IV.
## De mirabilibus circa translationem reliquiarum occurrentibus & de blasphemantibus & detrahentibus sibi.

[Sensus subito perditos reddit,] Cum dominus Birgerus & domina Catharina, filii S. Birgittæ, cum confessoribus & tota familia repatriarent, felicissimæ Matris reliquias secum ferentes, & ipsis in marchiam Anchonitanam venientibus, & ibidem in civitate quadam sero quodam habitantibus, una ex ancillis dominæ Catharinæ, nomine Maria, repente in terram cecidit, quasi mortua, perdita loquela cæterisque corporis sensibus alienatis, oculos namque transversos velut cadaver supina jacens retinebat. Hoc viso, domina Catharina ad tam subitum pavendum infortunium non parum stupens, confessores Matris advocari fecit, ut, quid facto opus esset, consulerent. Accersiti vero confessores nullum habebant, quod in medium proferrent, adminiculum. Mane ergo facto, sano illa consilio usa, de capillis & ossibus Matris recepit, & accedens ad infirmam, quæ in eodem statu, ut apparuit, fuit, tetigit eam ex iisdem: primum quidem oculos contingens, & continuo ad debitum nempe statum revertebatur. Deinde vero ore, naribus ac facie attactis, surrexit mulier illico sana, & equitavit, & pertingens Watzstenam monialis ibidem effecta est.

[165] Post hoc venientes in Alimaniam in civitatem, quæ dicitur Bruxia, [reliquias suas in Sueciam transferentes terra,] audierunt, quod in castro Skaclivo multi latrones

erant, viatores deprædantes, qui quidem latrones horum adventum præscientes se præparaverunt ad eos capiendos; cum autem hi castro appropinquarent, viderunt descendentes, ex utraque parte viæ, quam tenere oportebat, collocantes *, balistis ad sagittandum paratis, lacertisque ad vulnerandum vibratis: hoc videntes pacifici & inermes peregrini timuerunt valde & Deo & sanctæ Matri se commendantes a tanto periculo erui suis meritis postulabant. Mirum certe stupendumque miraculum: appropinquantes enim prædonibus, & transeuntes, obcæcatis eis, per medium illorum ibant. In sero vero ad hospitium, quo isti devenerunt, mercatores supervenientes referebant, quomodo in latrunculos illos ipsi impegissent, & illis referentibus didicissent, qualiter peregrinos quosdam divites præstolabantur & quia, pertranseuntibus peregrinis, excæcati fuerunt, strepitum quidem pedum audientes, neminem tamen videntes. Tunc ipsa nocte cuidam de societate illa quasi sol fulgens apparens dixit: Vidistine armatos illos hodie multos requirentes? Qui ait: Vidi, domina. Et illa: Ego, inquit, excæcavi eos, ne vobis nocerent, nec impedirent viam vestram, quemadmodum proponebant.

[166] [marique miro modo tuetur,] Deinde præfatis translatoribus in navi inter Alimaniam & Suetiam cum eisdem reliquiis iter agentibus, & ad quem portum propter bellorum pericula, partibus illis tunc ingruenda, applicarent dubitantibus, contigit parumper post meridiem, quod candidissima in cælo stella apparuit, quam primo & ante omnes puer octennis innocens atque infirmus aspexit. Sed cum omnes interea clare illam intuerentur, mirabantur, quod, sole splendide radiante, stellam in cælo videre possent, quæ usque ad portum quendam minime præcogitatum eos præcedens disparuit. Tunc sequenti nocte cuidam eorum, qui reliquias ferebant, in visione dictum est: Stella, quam vidistis heri navem præcedentem, & portum vobis ostendentem,

Birgittam significat, cujus fama quasi stella paulatim procedet, donec sicut sol illuminet totum mundum.

[167] [ab hostibus captum liberat, infirmam sanat,] Initium vero signorum ejus in terra Suetiæ hoc fuit: contigit anno Domini MCCCLXXIII Feria tertia Pentecostes, quod nobilis quidam, Haquinus nomine, captus est ab inimicis; strictissime ligatus, ductus est ad mare, ut portaretur ad terram Alimaniam, ubi possent securius ab eo extorquere magnam summam pecuniæ: stans ergo in littore audivit, quod reliquiæ B. Birgittæ, quæ transferebantur, pausandi gratia non longe a loco illo consisterent; illam in sui auxilium invocavit, ut a patria non abduceretur; & statim armati de quodam castro supervenerunt, prohibentes, ne abduceretur a patria, sed imponerent sibi statim certam pecuniam, si justitia dictaret solvendam: quod & factum est. Illi tamen, qui eum juvabant in nullo sibi attinebant, sed hucusque partem hostium foverant; qui, liber dimissus, dum reverteretur ad propria, occurrit translatoribus reliquiarum, & sequebatur eos usque dum ossa illa locata sint in Watzstenis IV Non. Julii, narrans gratiam secum factam. Postea vero per regem & principes libertati restitutus est, ita quod captivatoribus nihil solverit. Domina quædam nobilissima tanto languore opprimebatur, ut in loco * jacens quoties se vertere vellet, per trabem funibus vel alio hujusmodi se adminiculo relevaret; hæc audiens Sponsæ Christi reliquias, dum portarentur, advenisse, tentans ire pedibus, quantumcumque male haberet, surrexit, ut iret, & tanta ivit facilitate, ut nec solitam sentiret infirmitatem, nec requireret adjuvantem. Quæ postea easdem reliquias in Watzsteno alacriter visitans, immensas Deo & Famulæ suæ gratias referebat.

[168] Contigit etiam, quod quædam mulier perverso amore ad aliquem affecta, cum sancto die Paschæ

communicasset, [Deo conciliat sacrilegam,] sacrosanctam Eucharistiam de ore suo recipiens, ligavit in vitta, ut in potum commixtam illi, quem male concupierat, tribueret ad bibendum, tali eum modo ad illicitos amplexus existimans alliciendum: sed cum nihil profecisset, communicavit iterum, Christi Corpus, ut prius, panniculo involvendo, & cum ad potum illud iterum applicare vellet, disparuit repente, nullis reliquiis apparentibus. Quam ob rem infelix mulier nec Christi Corpus videre, nec unum Pater noster ex tunc in ecclesia legere potuit X annis, quanquam extra ecclesiam posset aliqualiter orare: cumque in tali scelere nimis diu perstitisset, nemini suum facinus ausa confiteri, tandem Matris nostræ reliquias repatriasse intelligens, facto ad illas peregrinationis voto, confestim, ut pallium, reliquiis suppositum, attigit, in lachrymas resoluta resurgens, omne malum confessa est: facta autem confessione, & dominicum corpus videre, & in ecclesia ad orandum consistere potuit absque tædio laudans & benedicens Deum.

[169] Quidam etiam XL annis nunquam confessus fuit, [veteremque peccatorem,] qui, audita fama beatæ Birgittæ, ivit ad confessionem, & dixit se nihil peccasse: cui frater, Nec ego te absolvo. Secundo rediit, sed, ut prius, confiteri erubuit: tunc volens surgere & recedere, vidit diabolum in forma teterrima, a cujus visu volens fugere cecidit in terram quasi mortuus, nihil loquens, sed tacens quasi per dimidiam horam: postea vidit Dominam pulcherrimam in vestibus deauratis dicentem: O homo male es infirmus: & ille; Vere ita est; Cui illa: Vade ad reliquias sanctæ Birgittæ, ibi medicina est: Ego enim, quæ loquor tibi, sum Mater misericordiæ. Surgens ille, confessus est omnia peccata sua, quæ a juventute fecerat, & gratias egit Deo.

[170] Mulier quædam prope Alvastrum, pauper in peculio, [brachium male affectum sanat.] sed dives vita pura,

continue X annis in sinistro brachio gravissimum dolorem est perpessa; quæ invocavit dominam Birgittam, & quadam nocte vidit eam in habitu, quo pluries viderat eam, dum esset vivens in Alvastro, quæ dixit sibi: Tu rogas me pro sanitate, roga potius Deum, qui omnia potest, & ego rogabo tecum & certa sum, quod exaudiet nos. Quo dicto, statim sensit se ab omni dolore liberam. Paulo post, cum dicta mulier quadam nocte pro pace regni oraret, iterum apparuit ei beata Birgitta in habit supradicto dicens: Propter peccata populi, diu impunita, Deus extenderat super regnum virgam suam; sed ecce nunc misericordia aperta est omnibus se humiliantibus: veruntamen quia pauci sunt adhuc, super induratis gravis immittitur afflictio iræ Dei.

[171] Cum primum ad regnum Suetiæ cum sanctissimo corpore ventum fuerat, [Divinitus non raro] quidam nobilis, aperte blasphemans dominam Birgittam, tanta furia arreptus est, ut videret multitudinem dæmonum, & intrans quandam ecclesiam inclusit se ibi, & corpus suum cum virgis & baculis percutiebat; caput autem proprium cum lapidibus miserabiliter vulnerabat. Quod percipientes amici sui, per fenestras ecclesiæ caute intraverunt, & eum ad hospitium suum traxerunt importune: ille autem digitos eorum dentibus mordens, clamavit: Vos maledicti latrones, ita male locuti estis, sicut & ego de domina Birgitta, & ita digni estis dæmonum societate, sicut ego. Tandem ad sensum rediens vovit, se visitaturum reliquias ejus in Watzsteno. Cumque cogitaret prius ire versus Aquisgranum, quia hoc prius voverat, arripitur, & gravius solito a dæmonibus vexatur: cumque paululum respirasset, proposuit ire in Watzstenam; qui arripiens iter, primo vix ire potuit ad locum destinatum, sed eggressus a civitate Sudercopensi paulatim confortatus est, ita quod nudis pedibus venerit ad locum & tanta facilitate peregit iter, acsi infirmus non fuisset.

[172] [puniti fuere,] Quædam mulier frivola reputans, quæ de Christi Sponsa dicebantur, & quædam inconvenientia ore evomens, perdidit sensum: rediens ergo vir suus domum, & insensatam uxorem intuens, causa tandem cognita, cum uxore beatæ Birgittæ limina in Watzsteno visitare devovit; &, modico interjecto spatio, restituta sensui votum ambo pariter impleverunt. Item vir quidam blasphemans eandem, ita subito a Deo correptus est, quod crus ipsius extemplo frangeretur, quod & uni moniali ipsam blasphemanti dicitur similiter contigisse. Quidam etiam alius verba, quæ Spiritus Dei per fistulam suam loquebatur, ausus est blasphemare, qui tanta illico ægritudine arreptus est, quod nec ad dexteram se movere poterat, nec ad sinistram: tanto insuper pruritu ac tædio afficiebatur, quod proprias manus in semetipsum ad extinguendum se injicere vellet. Cui Persona reverenti habitu in somnis apparens dixit: Extende linguam & curaberis; ego enim sum illa, cui maledixisti, & exhibens homo linguam, unctionem quandam recipiebat, qui evigilans a tentatione quoque liberatus est.

[173] [qui ipsi detrahere] Pyno, nobilis homo de castro, sito juxta civitatem Carabo Strengenensis diœcesis honorandam Fœminam deridens, altero oculo ipso facto privatus est, qui post dimidium annum de blasphemia pœnitens, & votum peregrinationis ad eam emittens, atque perficiens, gaudebat, se amissi oculi lumen recepisse. In civitate Orabo e Jacobus aurifaber Sponsæ Christi maledicens, paralisi dissolutus est, quod * per tres dies & noctes atrociter afflictus, vovit, se illius reliquias in Watzsteno visitare; qui mox usu firmaque stabilitate membrorum percepta, quod voverat, adimplevit. Curatus ecclesiæ Vynghlii Strengoniensis diœcesis, Nicolaus nuncupatus, gratiam Sancti Spiritus super humilem & mansuetam, timoratamque Fœminam requievisse, credere renitens oblocutionibus illius famam denigrare satagebat: quod faciens dolore in dextero brachio adeo

est percussus, quod tribus diebus acriter afflictus, nec comedere potuit, nec dormire, ac quietis aliquid remedium invenire. Denique intelligens, ob injuriam venerabili Viduæ irrogatam totaliter se correptum, pœnituit, vovens, se intimo corde nullatenus illi de cetero derogare, sed, in quibus posset, digna reverentia honorare: hoc voto emisso, redditam sibi pristinam cum gratiarum actione sanitatem sentiebat.

[174] [non sunt veriti,] Gertrudis quædam fœmina, eam deridere præsumens, tam vehementi capitis dolore ac tumefactione corporis percussa est, quod per tres dies ac noctes nec videre potuit, nec loqui: hæc postea prædictam pœnitentiam agens & votum peregrinationis emittens sanata est. Sanctimonialis quædam, Margitrita nomine, de claustro Rysaberch Strengenensis diœcesis blasphemare & deridere sanctam Mulierem præsumebat, quæ e vestigio divino percussa judicio sensum perdidit & loquelam: cumque in tali miseria dies quinque peregisset, aliqui pro ea stipulati sunt, quod illi *, cui convitiando illuserat, reverende visitaret. Sequenti vero die amissam recuperans sanitatem, & quod alii pro ea pacti fuerant, observans, gratiam secum factam humiliter recognovit. Frater Benedictus de Ordine Prædicatorum, venerandam deridens Dominam, amens tribus diebus efficiebatur, hic, facto ad eam, cui detraxerat, pro se peregrinationis voto, pristinam sanitatem recuperabat.

[175] Item frater Joannes de Ordine Minorum, [& quidam ea de causa] verbis minus decentibus gratiam B. Birgittæ a Deo gratis datam expugnans, morbo epilectico statim cecidit, & visu, auditu, loquela, motu, omnique rationali sensu perdito, per tres dies & noctes, quasi truncus inutilis jacuit: cujus miseriæ dominus Arwidus presbyter, cum duabus discretis matronis compatiens, votum peregrinationis pro eo ad Watzstenam fecerunt, qui eadem hora sanus exurgens libenter se velle, quod pro eo

polliciti fuerant, adimplere fatebatur. Consimiliter, cum ipsa adhuc in humanis ageret, ob eandem gratiam cælestium revelationum sibi factam pluries molestabatur & eidem detrahebatur, quemadmodum claret ex sexto libro earundem Revelationum cap. XC, ubi dicitur, quod magistro Mathia, de quo supra, loquente cum quodam religioso magnæ auctoritatis & familiaritatis de ista gratia visionum cælestium divinitus data Sponsæ, respondit ille religiosus, non est credibile, nec concordat Scripturæ, quod Deus recessit a continentibus, & abdicantibus mundum & ostendat secreta sua magnificis fœminis. Magistro vero plura allegante super hoc, ille non consensit: cum autem Sponsa audisset ista, & videns magistrum turbatum, posuit se ad orationem, & tunc rapta in spiritu audivit Christum sic dicentem: Multorum est ista periculosa infirmitas *, ideo non eis dandum, ne gravius infirmentur. Ego autem sum medicina infirmorum, & veritas errantium. Sed iste religiosus loquax non desiderat medicinam, quia stercus scientiæ vanitatis est in corde ejus, & ideo ei unam alapam dabo cum manu mea, & audietur ab omnibus, quod ego sum Deus non loquax, sed efficax & metuendus. Hic idem religiosus post hanc tribulationem humiliatus est, & paraliticus factus mortuus est.

[176] Item in XCII cap. libri præscripti dicitur, quod, [a Christo reprehensi.] præsente Sponsa, quidam monachus portavit librum Vitæ spirituum * coram consiliariis, & rege Suetiæ legens in eo, quod multi ex sanctis Patribus fuerint delusi ex abstinentia nimia & indiscretione, & ideo dixit, se timere, ne forte Sponsa similiter illuderetur. Cumque post hoc ipsa staret orando, audivit Christum dicentem sibi: Quid dixit monachus iste? Quia multi sanctorum fuerunt delusi: vere iste saccus verborum dixit, sicut voluit, sed non sicut debuit: nam nulli amici mei delusi sunt, qui me dilexerunt sapienter, sed qui superbientes de abstinentia & justitia sua, præferebant se aliis & nolentes

obedire humilibus, hi delusi sunt, & quia iste monachus peroravit librum Sanctorum contra me, quorum ipse imitator non est, ideo ego perorabo librum justitiæ meæ contra eum; & qui in sapientia sua laudatur, veniet coram sapientia mea, & tunc videbit in conscientia sua, quod vera sapientia non est in verbis sublimibus, sed in conscientia pura & humilitate vera.

[177] [Epilogus auctoris,] Cedat ergo temeritas dubitantium; accedat spes desperantium, & obtrectantium lingua recedat; nullius oculus nequam sit, quia Dominus bonus est. An non licet sibi facere, quod vult, qui nemini facit injuriam? Quia enim Deus magnus voluit, ideo spiritu intelligentiæ replevit eam, & ipsa quasi imbres emisit eloquia sapientiæ suæ. Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in æternum non delebitur memoria ejus. Eia nunc Mater alma, vitæ norma, canalis Spiritus Sancti, Sponsa Christi dilecta, quam Dominus elegit, præelegit, & in tabernaculo suo habitare eam fecit; eia, inquam, Sponsa Christi, veni & accipe coronam, quam Sponsus tuus tibi præparavit in æternum: pro cujus amore cor tuum quasi aquam fudisti, & cum angelis in Paradisum introisti: pro cujus, inquam, amore regnum mundi & omnem ornatum ejus contempsisti: quem vidisti, quem amasti, in quem credidisti, quem toto corde dilexisti: dic & tu cum beatissima Virgine Maria, cujus humilis es pedissequa, Respexit Deus humilitatem Ancillæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. De cetero mihi nemo molestus sit, ego enim jam Sponsi mei Jesu Christi regis æterni excelsa præconia, præcelsaque amoris insignia in corde meo, & in capite meo porto. Ut quid ergo, o vos detractores, molesti estis huic Mulieri, inquit, Christus: bonum enim opus operata est in me.

**[178] [& quis hic fuerit, declaratur.] Sciat lector in Christo devotus, nec non beatarum Virginis & dominæ Birgittæ zelator, quod primævus præscripti compilator Opusculi fuit frater Bertholdus de Roma confessor generalis monasterii ejusdem Matris nostræ Birgittæ de Paradiso apud Florentiam, excopiatusque fuit in monasterio ejusdem Ordinis anno MCCCCII mensis Decembris die secunda. Oremus pro scriptore R. P. Bartholomæo Laucieo Ord. S. Birgittæ in monasterio Sion Coloniæ professo sacerdote.**